
INSIGNIA ACADEMIAE HARVARDIANAE CANTAB: NOV: ANGLIAE
VE RI
TAS
The Gift of
Mary Bryant Brandegee
in Memory of
William Fletcher Weld
HARVARD COLLEGE LIBRARY

OCTAVIA

PRAETEXTA

CVRIATIO MATERNO

VINDICATAM

AD LIBROS ANTIQVOS RECOGNITAM BREVI

ADNOTATIONE INSTRVCTAM

CVRAVIT

FRANCISCVS RITTER

[illegible]

BONNAE

IMPENSIS LIBRARII T. HABICHT

MDCCCXLIII

OCTAVIA

PRAETEXTA

CVRIATIO MATERNO

VINDICATAM

AD LIBROS ANTIQVOS RECOGNITAM BREVI

ADNOTATIONE INSTRVCTAM

EDIDIT

FRANCISCVS RITTER

WESTFALUS.

BONNAE

IMPENSIS LIBRARII T. HABICHT.

MDCCCXXXXIII.

INDEX.

Praefatio . . . . pag. V—XXXII.

I. Octavia Annaeo Senecae perperam adscripta . . VI.

II. Curiatius Maternus auctor Octaviae . . . . . XII.

III. Materni praetextae Domitius et Cato, tragoediae more Graeco Medea et Agamemnon et Thyestes XIII.

IIII. Maternus imitator Senecae . . . . XXV.

V. Quaedam de eventu Octaviae, sed in coniectura posita . . . . XXVIII.

VI. Octaviae recognoscendae notisque instruendae ratio . . . . XXXI.

Octavia cvm notis editoris . . . . 1—53.

PRAEFATIO.

Dum per aliquot iam annos quod superest otii a muneris publici administratione Cornelio Tacito impendo, ut in nova operum eius quam molior recensione non solum quae olim in hoc rerum scriptore vel minus plene inchoavi vel parum recte tentavi suppleta et emendata praestare possim, sed totum hoc opus novis curis elaboratum et novo consilio coeptum ac perfectum prodeat, aliquotiens mihi accidit ut omnia huic negotio coniuncta et profutura circumspiciens ad exspatiandum in loca paulo remotiora invitarer ibique cum auctoribus quibusdam, quos primo unius Taciti gratia inspexeram, iam contrahere familiaritatem et gratum commercium diutius continuare animum inducerem. Idem usu mihi venit in Annaeo Seneca. Nam quo melius persentiscerem et diiudicarem, quo veritatis studio et qua enarrationis arte Senecae facta moresque Tacitus in Annalibus posteris tradiderit, ipsius philosophi scripta, praeclara facundi et amoeni ingenii monumenta, pervolutavi, neque poemata eius, h. e. decem illas tragoedias, quas una excepta ab ipso Seneca philosopho conscriptas esse post varias vanasque dubitationes in dies magis a viris doctis agnoscitur ac firmiter recteque creditur [1], ab hoc instituto

1) Pro multis unum Welckerum nostrum et egregium eius librum 'Tragoediae Graec. secundum cyclum ep. dispositae' tom. III p. 1446—1456 laudasse pro hoc meo consilio nunc satis est.

semovenda putavi. Una autem illa, quam Annaeo Senecae falso tribui significavi, Octaviam dico, haec, quamvis ceteris vi ac virtute tragica paulo inferior, mihi tunc omnibus aliis gravior visa est: quippe quae Tacitus tum in aliis Annalium libris tum in quarto decimo narravit, eadem ab huius fabulae scriptore, tractantur et ita quidem exponuntur, ut diligentiam eius in rebus gestis consignandis et plane dilucideque explicandis facile adprobemus. Quae omnia ut accurate dispicerem et cum Tacitinis conferrem, operis mei susceptique laboris ratio postulabat. Mox veni ad Dialogum de Oratoribus, olim Tacito temere abiudicatum, iam a plerisque criticis auctori suo recte restitutum, ibique nescio quomodo ad Octaviam reductus sum et verum eius auctorem auxilio Corneliano tandem ex tenebris suis protrahere posse mihi videbar. Inde hoc quidquid est libelli Octaviaeque edendae notisque instruendae consilium natum esse, id, lector benivole, te scire volui. Sed ut tota quaestio via ac ratione explicetur, ab initio ordiemur.

I. Octavia Annaeo Senecae perperam adscripta.

Octaviae fabulae auctorem in omnibus libris manu scriptis, excepto vetustissimo Florentino cui tota deest, Senecam philosophum falso perhiberi plerique viri docti consentiunt, rationibus tamen significatis potius quam dilucide et apte ad persuadendum expositis. Nos in hac quaestione haud provocabimus ad ingenium huius fabulae a ceteris Senecae tragoediis diversum: nam in eiusmodi rebus hominum iudicia nimis varia reperiuntur, quam ut certa et firma consensio inde effici possit; dein ipsi bene scimus ab isdem hominibus diversis temporibus procreari monumenta ingenii virtute et natura mul-

tum discrepantia. Hilum igitur non proficiet is, qui Octaviam ex Senecae libris eximere velit propterea quod ceteris eius fabulis inferior videatur. Quidni videatur? sed materia operis minus opportuna fuit, sed philosophus iniquo temporis momento scripsit, sed semel dormitavit aut in adversaria interim coniecit quae posthac diligentius perpoliret. At vero rationes quibus luculente monstratur a Seneca Octaviam scribi non potuisse, has ex ipsius fabulae argumento petitas proferre placuit.

Senecae persona notabilis et cum gravitate locutura in secundo fabulae nostrae actu (v. 376—586) inducitur. Haec scena tota ita comparata est, ut Seneca eiusmodi quidquam neque scribere et evulgare neque scriniis suis interim credere posset. Etenim haec si de semet ipse prompsisset, summo iure et senes et pueri clamare potuerunt interisse pudorem, ipsam arrogantiam et impudentiam in elegantissimi viri ac satis decori caput invasisse. Etiam Neronem, si Octaviam ipse composuisset, talem ostendere Seneca non potuit, qualis in hac nostra fabula producitur. Verus enim Nero factis suis atrocia quaecunque audebat, verbis iusta et aequa prae se ferebat: Nero autem qui in Octavia progreditur et verbis et factis crudelem tyrannum, immo diram quandam ac sanguinolentam belluam ubique sese prodit.

Sed haec ne longius persequar, alia faciunt indicia idem probantia. Eorum primum versu 733 et 739 continetur: ibi enim Poppaea Sabina caedem Rufi Crispini, in cuius matrimonio vixerat, per quietem praevidet. Atqui Crispinus ille occisus est anno sexagesimo sexto post Christum natum, Seneca autem anno praecedente decesserat. v. Tacit. Ann. XVI 17 collato XV 60—64. Alio loco (v. 595 sqq.) etiam Poppaeae Sabinae mors praedicitur. Poppaea vero eodem quidem anno quo Seneca

mortem obiit, sed aliquot mensibus post animam exspiravit fortuita mariti Neronis iracundia, abs quo gravida ictu calcis adflicta est. v. Tacit. Ann. XVI 6. Sequitur tertia temporis nota, unde apparet Octaviam *tribus minimum annis* post obitum Senecae demum scriptam esse. Nimirum versibus 618 sqq. et 628 sqq. foedus vitae exitus Neronis accurate praedictus est, turpis eius ex urbe fuga, supplicium more maiorum a patribus decretum, sitis ultimis vitae momentis exantlata, iugulum denique gladio praecisum hostibusque relictum, quae tribus demum post Senecae mortem annis acciderunt.

Postquam certissimis argumentis commonstratum est Senecam huius fabulae auctorem haberi non posse, num statim ad saeculum longe inferius, veluti ad tempora Traiani vel etiam remotiora, delabemur verum auctorem anquirentes? Nihil est quod eo nos compellat. At auctor Octaviae Tacitum imperante Traiano suos Annalium libros conscribentem sequitur et imitatur. Non est ita, non est ita. Nam lege mihi Senecae et Neronis colloquium a poeta v. 439—586 insertum, et rursus compara sermonem eorundem a Tacito in Annalibus XIV 53—56 ex vero utriusque ingenio expressum et mirifice compositum. Apud utrumque imaginem naturae animique Neronis plane diversam deprehendes. Poeta Neronem perfectum tyrannum inducit hominemque et factis et dictis impudentem ostendit: apud Tacitum idem in dicendo affabilis, blandus, suavis comparet; Octaviae scriptor crudelem et immanem ac ne verbis quidem quidquam obtegentem ob oculos ponit: apud Tacitum astutus et simulator et egregia quaeque loquens idem progreditur. Etiam ex aliis Octaviae partibus afferre possum quae Tacitinis parum conveniunt, sed ex pluribus duo memorasse sufficiet. In exitu dramatis (v. 960 sqq.)

Octavia truci quasi vultu fatum et mortem provocat, tristissimam sortem nihil extimescit, atrociter in deos superos et impie in parentem suum defunctum invehitur. Quanto verius et melius Tacitus in Annalibus XIV 64: *Ac puella vicesimo aetatis anno, inter centuriones et milites, praesagio malorum iam vita exempta, nondum tamen morte acquiescebat. Paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur, cum iam viduam se et tantum sororem testaretur, communesque Germanicos et postremo Agrippinae nomen cieret, qua incolumi infelix quidem matrimonium sed sine exitio pertulisset.* Porro si Taciti narratio fatorum Octaviae scriptori fabulae cognita fuisset et hac ille tanquam fonte usus esset, num orationem illam gravissimam, qua Poppaea Neronis iram et metum exstimulare apud Tacitum (Ann. XIV 61) conatur, imitator transmissurus et in rem suam haud conversurus fuisset? Is vero non modo de his luminibus nihil habet, sed idem Anicetum, subornatum illum Octaviae adulterum et Neronis adhortationem (Tacit. Ann. XIV 62 et 63), ut Anicetus adulterium cum Octavia commissum fateretur, quamvis aptos fabulae flores, silentio praetermisit, quod sane non fecisset, si Tacitum imitandum sibi sumpsisset vel eius descriptionem tanquam argumentum et fontem adhibuisset.

Quidquid similitudinis inter Tacitum et auctorem Octaviae repperisse sibi visi sunt interpretes, id omne eo redit quod poeta plura diligenter et fideliter executus est, quae in eadem re apud Annalium scriptorem etiam accuratius et plenius exposita legimus.

Hac igitur via aetatem eius qui scripsit Octaviam certius definire haud licebit: sed alia adsunt indicia quae rectius in hac quaestione sequi possumus quaeque ostendunt Octaviae scriptorem, quanquam demum post mor-

tem Neronis drama suum composuit, ipsi tamen aetate supparem fuisse. Eiusmodi locus est v. 194—196, ubi de Acte liberta olim a Nerone adamata haec traduntur:

Iam metuit eadem . . . .
Subiecta et humilis, atque monumenta exstruit,
Quibus timorem fassa testatur suum.

Acten de Neronis amore deiectam nescio cui numini aedem struxisse dicunt interpretes, sed *monumenta* si templa deorum dicuntur, excelsa et ampla aedificia fere significantur: iis autem aedificatis quomodo timorem suum fateri Acte potuerit, nemodum explicavit. Rectius igitur de monumentis [2] sepulcralibus, quae sibi posterisque suis tanquam signa mortis instantis Acte posuerit, cogitabimus. Sed vel sic tota res tam exilis, tam secundaria est, ut eius commemoratio non nisi ab eo, qui suis oculis quae Acte molita est vel eius operis reliquias vidisset, exspectari posse videatur. Alio fabulae loco (v. 695) nutrix ad Poppaeam dicit

Quem (Neronem) *tuus cepit decor*
Et culpa Senecae.

Etiam de hac re, de hac Senecae culpa nihil aliunde accepimus, nihil referunt rerum scriptores alioqui satis diligentes in Senecae rebus et moribus describendis. Qualis culpa dici videatur, in adnotatione ad h. l. scripta probabiliter indicavi. Sed ea res rursus talis est, ut non facile nisi ab homine aequali hoc modo commemorari potuerit. Praeterea ab aliis iam animadversum

2) Cf. Sueton. Ner. 50: *reliquias* (Neronis) *Ecloge et Alexandria nutrices cum Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod prospicitur e campo Martio impositum colli hortorum. in eo monumento* cet. fortasse sedem conterminam suo monumento Acte acquisiverat vel dono a Nerone acceperat.

hoc est, v. 230 sqq. aevi Neroniani cometen describi tam accurate et tam luculente, ut etiam hinc ad aequalem poetam vel aetate supparem deduci videamur.

Sed antequam ad id contendo, quo haec disputatio tanquam in scopum suum evasura est, duo etiam in animum lectoris revocanda sunt. Nam primum is qui hanc fabulam composuit Senecam imitatur ac fere pusillus Seneca est, minoribus nervis et oratione poetici sermonis luminibus minus illustri, sed eadem sobrie plerumque coercita et prudenter temperata, ut in vitium tumoris et fucati ornatus rarius incurrat quam auctor ceterarum tragoediarum quibus Senecae nomen recte inscriptum legitur. Apud utrumque longae orationes, multi elocutionis flores, inventionis et actionis inopia, eiusmodi materiae mythicae usus, ut in fabulis vigor et vita desideretur. Porro Senecae tragoediis Octavia etiam in eo similis est, quod chorum habet, unde consequitur non scriptam esse eo consilio, ut in scenam committeretur, sed legentibus et recitantem poetam audientibus factam esse [3]. Ita tamen imitator a duce suo discedit, ut eius cantica numerorum varietate nulla solis anapaestis decurrant, cuius rei causam probabilem infra proponam. Alterum illud quod a lectore teneri velim hoc est, fabulam hanc nostram non esse ex eo genere tragoediarum, quae Romae prae ceteris cultae sunt ac ce-

3) Scilicet haec tragicae Romanorum poesis ratio fuit, ut a fabulis *quae agerentur in scena* chorus abesset: inde nulla Romae choragia aut aliud quidquam huic simile, nullus *χοροῦ διδάσκαλος*, inde propria chori apud Graecos sedes et spectaculum, dico orchestram, ea in theatris Romanis senatoribus concessa erat. plures recentioris aetatis viri litterati hac de re non satis recte sentiunt, a grammaticis nonnullis veteribus in errorem deducti.

lebratae, sed esse *praetextam*, hoc est eiusmodi fabulam, cuius argumentum non ex mythis Graecorum sed ex historiis Romanis petitum sit.

II. Curiatius Maternus auctor Octaviae.

Quae adhuc disputavimus, haec eo tendunt, ut auctor Octaviae circumspiciatur et anquiratur a nobis eiusmodi, qui Neronis tempora etiam viderit ac post obitum eius tragoedias ediderit, qui Graecis fabulis non contentus etiam ex Romanis rebus argumenta carminum repetiverit, qui Senecam auctorem secutus et imitatus sit, quique non in scenam poemata sua commiserit, sed recitantem sese audientibus et legentibus destinaverit. Haec omnia in neminem nisi in *Curiatium Maternum* oratorem et poetam conveniunt in eoque praeclare et unice concurrunt. Is enim et tragoedias conscripsit et praetextas, atque idem unus est qui scriptor *praetextarum* etiam hac aetate innotuit, neque posthac ullus alius in litteris Latinis comparet, qui praetextas componere adgressus sit. Adde quod Maternus postremis Neroniani principatus annis *fabulam praetextam recitando* carminum gloriam auspicari coepit ac dehinc per longius temporis spatium et tragoedias Graeco more compositas et praetextas recitavit, donec a Domitiano principe anno post Christum natum nonagesimo primo (= ab urbe cond. 844) interfectus est, quod idem Senecam imitatus est et carmina sua non scenae dedit et histrionibus agenda commisit, sed ipse recitavit et mox legentibus edidit. Sed quae modo paucis verbis complexi sumus non satis cognita et pervulgata, de his iam accuratius et de singulis iusto ordine dicendum restat.

III. Materni praetextae Domitius et Cato, tragoediae more Graeco Medea et Agamemnon et Thyestes.

Quo anno *Dialogus de Oratoribus*, a Cornelio Tacito iuvene conscriptus et editus, habitus esse fingitur, h. e. anno post Christum natum septuagesimo quinto sive sexto Vespasiani principis consulatu (cf. Dial. c. 17), unus ex interlocutoribus, Curiatius Maternus orator et poeta, praeter aliquot tragoedias Graeco more compositas *duas* praetextas scripserat et recitaverat, *Domitium* unam, alteram *Catonem.* Catonem proximo die quam colloquium de oratoribus habitum esse fertur recitaverat ac liberius quae sentiret in ea fabula elocutus apud potentium animos offenderat. De hac re Marcus Aper patronus causarum et amicus Materni apud Tacitum (c. 3) protulit quae sequuntur: *adeo te tragoediae istae non satiant, inquit Aper, quo minus omissis orationum et causarum studiis omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyesten consumas, cum te tot amicorum causae, tot coloniarum et municipiorum clientelae in forum vocent, quibus vix sufficeres, etiamsi non novum tibi ipse negotium importasses, Domitium et Catonem, id est nostras quoque historias et Romana nomina, Graeculorum fabulis adgregare.* Recitationem praetextarum *novum negotium* Aper appellat, quod hoc fabularum genus in litteris Latinis tunc fere oblitteratum et post longum temporis intervallum a Materno resuscitatum erat [4]. Sed cave Taciti verba prave accipias ita, ut quemadmo-

4) Diu erat posteaquam Cilnius Maecenas *Octaviam* parum celebratam scripserat. Persius praetextam *Vescio* (v. Suetonii vita Pers.) sibi fecerat iuvenis, sed in vulgus ea non edita est.

dum Catonem, sic etiam Domitium proxime recitatam esse credas. Nam Domitium pluribus annis ante conscriptam esse et lectam alter ostendit eiusdem operis Tacitini locus, ubi Maternus ipse haec verba facit c. 11: *Ego autem sicut in causis agendis efficere aliquid et eniti fortasse possum, ita recitatione tragoediarum et ingredi famam auspicatus sum, cum quidem in Nerone* 5) *improbam et studiorum quoque sacra profanantem Vatinii potentiam fregi, et hodie, si quid in nobis notitiae ac nominis est, magis arbitror carminum quam orationum gloria partum.* Fabula quae *Neronis* nomine in his verbis commemoratur primum nonnisi praetexta potest esse, non tragoedia e Graecis conversa, tum, quia Cato et Domitius unae erant, quas ex genere praetextarum adhuc Maternus recitaverat, Domitium et Neronem duo nomina eiusdem operis esse consequitur. Idem ante me recte intellexit Neukirchius in libro suo De fabula Togata Roman. p. 93, Ecksteinius Prolegom. in Dial. de Oratoribus p. 8, Welckerus in Tragoed. Gr. t. III. p. 1464. Sed nomen duplex eiusdem fabulae minus recte, si quid video, adhuc

5) Nominis formam *in Nerone* non mutandam fuisse cum alii viderunt, tum Welckerus (Tragoed. Graec. secund. cycl. ep. dispos. t. III. p. 1462) nuper ostendit. codex Perizonianus, quem Trossii diligentia cognovimus quemque nunc manibus meis versare mihi licet, *in Neronē* exhibet, eaque vera est scriptura leviter vitiata. idem liber perbonus pro *fregi*, *et* nudum *fregi* praebet, quod ex *fregei* et hoc rursus ex *freg'et* ortum existimo; certe particulam *et* orationis concinnitas postulat, quamvis infirma codicum auctoritate munitam: quod enim Bekkerus ex libro Farnesiano et Waltherus ex eodem fonte *fregi, et* rettulerunt, id errori tribuendum esse puto, et puto quidem primum propter contrarium Schrautii testimonium, tum propter scripturam illam libri Perizoniani, qui Farnesiano in plerisque consentit. de nominis *Vatinii* forma infra copiosius disputabitur.

explicatum est. Nam quod statuit Neukirchius suoque assensu comprobat Ecksteinius, plenum indicem fuisse Domitium Nerónem, id nullo modo probari potest, cum is, qui fabulae nomen dedit, Nero Romanus imperator, ante suam adoptionem usque ad annum aetatis *tertium decimum* (cf. Tacit. Ann. XII 25 et 58, XIII 6) *Domitius Aenobarbus*, mox a Claudio principe in familiam et nomen Claudiorum adoptatus continuo *Nero Claudius* neque unquam Domitius Aenobarbus vocaretur. Ex diversis autem temporibus nomen gentile *Domitium* et familiae vocabulum *Neronem* a Materno commixtum esse, id neque credi neque iuste explicari potest. Bene igitur fecit Welckerus, quod hac via non contentus aliam circumspexit (v. Tragoed. Gr. t. III. p. 1464), quamvis, ut mihi videtur, et ipse a vera aberraverit. Quippe contumeliae causa *Domitium* huic fabulae indicem factum esse putat, non *Claudium Neronem*. Sed quae opinioni firmandae protulit, ea nimis infirma sunt. Etenim si mater Neronis Agrippina succensuit (eo provocavit Welckerus) quod filium suum a Claudio iam adoptatum alter et verus Claudii filius Britannicus etiam tum *Domitium* salutavit, non *Neronem* (v. Tacit. Ann. XII 41), haec Neronis adoptionem a Britannico non agnosci putavit sive se putare simulavit idque indigne tulit [6]: in ipso tamen Domitii nomine nihil contumeliae inerat. Etiam quod Nero sub finem principatus indignatus est, sese crebris edictis a Vindice *malum citharoedum et Aenobarbum* (Sueton. Ner. 41) appellari, nihil ostendit aliquem Domitii nominis contemptum. Iam vero si Domi-

6) Suetonius paulum a Tacito discrepans eandem rem sic rettulit Ner. 7: *Britannicum fratrem, quod se post adoptionem Aenobarbum ex consuetudine salutasset, ut subditivum apud patrem arguere conatus est* (Nero).

tius post obitum Neronis scripta est et recitata, ut statuit Welckerus, quid tandem contumeliae huic nomini adhaerescere potuit in eo, qui nomine Neronis Claudii apud omnes homines cognitus erat et infamis?

Has igitur nomina Domitii ac Neronis explicandi vias cum tuto ingredi non possimus, aliam anquiramus et eam quidem quae haud longe repetatur. Scilicet Domitius ei fabulae nomen fuit, quod is qui posthac Nero cognominatus est eo tempore, quo res argumento huius praetextae conserta agebatur, nondum *Nero Claudius*, sed tunc *Domitius Aenobarbus* vocatus est, quod puero *Domitio*, non principi *Neroni* primae partes demandatae erant. Quod antequam longius persequar, lector respiciat velim paulisper ad locos illos supra (p. XIII. XIV) ex Dialogo Tacitino c. 3 et 11 huc transcriptos. In priore Marcus Aper loquitur et is vero nomine amici sui fabulam Domitium appellat: in altero Maternus pervulgata licentia utitur, cum eum, qui suo nomine Domitius vocatus est, nomine post assumpto Neronem appellavit: hoc enim nomine facilius et citius quem diceret audientibus in memoriam redegit. Sin contra verum fabulae nomen *Nero* fuisset, nihil erat cur Marcus Aper *Domitii* nomen in oratione sua poneret.

Sed haec explicandi ratio tum demum bene se habebit, cum, quomodo puer Domitius primas partes in praetexta Materni sustinere potuerit, probabiliter ostenderimus. Id igitur nunc agamus.

Satis notum est et a Tacito (Ann. XI 12) Suetonioque (Ner. 6) traditum, primam Domitii aetatem multis periculis obiectam fuisse, si quidem Valeria Messalina Claudii Caesaris uxor et matri Neronis Agrippinae semper infensa ipsum tanquam Britannici aemulum odio persequebatur. Infestus eius in Domitium animus favore

populi Romani hunc ut unicam Germanici subolem venerantis ac foventis multum irritabatur. Quapropter saepius in eo erat ut extrema in Agrippinam et filium eius auderet. Emanavit etiam in vulgus missos a Messalina qui Domitium puerum meridiantem strangularent, sed eos divino auxilio ab atroci incepto repulsos esse. De qua fama Suetonium l. c. haec narrantem audiamus: *gratia quidem et potentia usque eo floruit* (Domitius), *ut emanaret in vulgus missos a Messalina uxore Claudii qui eum meridiantem quasi Britannici aemulum strangularent. Additum fabulae est eosdem dracone e pulvino se proferente conterritos refugisse.* Conf. Tacit. Ann. XI 11: *vulgabaturque affuisse infantiae eius dracones in modum custodum, fabulosa et externis miraculis adsimulata. Nam ipse, haudquaquam sui detractor, unam omnino anguem in cubiculo visam narrare solitus est.* Hoc ipsum *unum* est ex puerilibus Domitii annis quod argumentum praetextae suppeditare potuit. Inde igitur recte colligemus, ipsam hanc rem sive populi famam a Materno Domitii scriptore propositam et pertractatam pueroque Domitio decem annos nato (eam enim aetatem fere assecutus erat, cum sicarii Messalinae mittebantur vel missi ferebantur) primas agendi partes assignatas fuisse.

Postquam hoc lucis supra obscuram Domitii scenam diffudimus, deinceps dicendum erit, si fieri potest, qua ratione poeta argumentum suum dispositum dederit et quo tempore eam fabulam Romae recitaverit. Ac sane utrumque ostendi potest eo loco in auxilium adhibito, quem ante (p. XIV) ex Taciti Dialogo (c. 11) testem citavimus. Ibi enim Maternus hac recitatione carminum gloriam ingredi auspicatum se esse profitetur, additque a sese tunc fractam esse *improbam et studiorum quoque*

*

sacra profanantem Vatinii potentiam. Sed quoniam *Vatinii* nomen I. Frid. Gronovii iudicio (Observat. III 4) his verbis illatum est, in codicibus autem omnibus [7]) *vaticinii* legitur, ante, ne incerto fundamento disputatio nostra fundetur, huius coniecturae veritas vindicanda est. Ac scio quidem a viro ingeniosissimo mihique amicissimo, cuius iudicium in his rebus magni facio, a Welckero nostro lectionem *vaticinii potentiam* ita defensam esse, ut *vim poesis Neronianae* iis verbis nove denotatam eamque a Materno, non multo post obitum Neronis recitata et edita Domitii fabula in Neronis contumeliam scripta, fractam esse assereret. Lege eius Tragoed. Graec. t. III p. 1462 sq. Quippe ad explicandum insolitum hunc *vaticinii* significatum Welckerus hoc statuit, eam vocem ex ore adulatoris aulae Neronianae repetitam esse. Verum enim vero quanquam *vates* saepe dicitur is qui est poeta, quod opinioni suae tuendae Welckerus attulit, inde tamen non consequitur *vaticinium* ab homine Latino pro *poesi* poni potuisse. Etenim *vaticinium* non a *vate* dictum est, sed a verbo *vaticinari* derivatum et intellectu *passivo* praeditum id denotat *quod vaticinando editur vel editum est* (*Orakelspruch*), quemadmodum altera nominis forma item a *vaticinando* facta, *vaticinatio*, activo intellectu actum vaticinandi (*Weissagung*) indicat. Sicut autem nemo, ne poeta quidem, *vaticinari* dixit id quod est poemata pangere, neque *vaticinationem* pro carminum confectione

7) Cum Bekkerus ad illum Taciti locum scribit '*Vatinii* habere videtur F', nimium, opinor, tribuit infido Niebuhrii silentio: nam neque Schluttigius apud Waltherum neque Schrautius hoc ex eo libro enotavit, et iam codex Perizonianus quoque sive Leidensis, Farnesiano persimilis, cum ceteris omnibus *vaticinii* praebet.

ullus unquam admisit, ita *vaticinium* pro carminibus dictum esse sive a Materno sive ab adulatore Neronis, id fidem excedere mihi videtur. Alterum quod oppono Welckeri coniecturae hoc est, nullam inesse Taciti verbis significationem qua admoneamur vocem *vaticinii potentiam* ex ore alius hominis a Materno repetitam esse. Postremo in hac verborum interpretatione *Domitii* nominis ratio satis explicari nequit. Iam si scriptura *vaticinii potentiam* teneri non potest, neque alia explicandi via quae melius traditae lectioni conveniat quam haec a nobis modo refutata adhuc excogitata est neque inveniri potest, facile apparebit leniorem aegri loci medicinam quam Gronovianam illam proferri non posse. Origo autem corruptionis haec videtur fuisse, ut is, qui ex libro unico unde nostri codices omnes orti sunt primus novum fecit, *vatinii* formam parva littera initiali incurrens et de homine nihil cogitans ne nomen quidem Latinum se legere putaret ideoque, haud opportune verbi *vaticinandi* recordatus, confidenter *vaticinii* corrigeret. Gronovius quidem ad veram vitii correctionem deductus est partim imagine illa Vatinii, quam in Annalibus (XV 34) Tacitus egregie delineavit, partim quod hominis nomine opus esse ad verum loci intellectum probe sentiebat. Cetera vero quae ad Taciti verba luce illustranda necessaria erant parum perspexit. Ea igitur nos iam in supplementum proferemus.

Si Maternus, id quod ipse apud Tacitum profitetur (neque quidquam arguit coram amicis aequalibus eum mentitum aut minus vere locutum esse), recitatione Domitii *potentiam Vatinii*, foedissimi in aula Neronis ostenti, *fregit*, aut ipsum Vatinium aut hominem moribus illi similem in ea fabula induci oportuit. Ipse induci non potuit, quod Claudii Caesaris temporibus, unde argumentum

fabulae sumptum esse ante vidimus, Vatinius obscurus fuit et ignotus. Emersit ex sordibus et tenebris suis homo detorto corpore conspicuus moribusque infamis demum sub principatu Neronis magnamque potentiam postremis annis eius imperatoris nactus est. Ad summum fastigium imperatorii favoris evectus iam erat anno post Christum natum sexagesimo quarto, in cuius rebus tradendis Vatinii mentionem Tacitus in hunc modum fecit Ann. XV 34: *Vatinius inter foedissima eius aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus*, *corpore detorto*, *facetiis scurrilibus*, *primo in contumelias adsumptus*; *dehinc optimi cuiusque criminatione eo usque valuit*, *ut gratia, pecunia*, *vi nocendi etiam malos praemineret.* Ex sutrinae tabernae sordibus protractus et inter Caesaris familiares receptus nihil promptius egit quam ut nobiles (*optimum quemque*) ac senatorii ordinis homines apud principem criminaretur. Ad hunc ipsum identidem dicere solitus est *μισῶ σε, Καῖσαρ, ὅτι συγκλητικὸς* (*ordinis senatorii*) *εἶ.* Vid. Dio apud Xiphil. LXIII 15. Eiusmodi facetiis scurrilibus non solum alios apud Neronem insectatus est, sed etiam studiorum sacra, h. e. veram carminum artem, Materno profanare iste videbatur. Itaque duplici de causa poeta audax et ingenuus Vatinium ex ingenti pessimorum aulicorum numero elegit, in quem non recta via sed ex obliquo impetum suum dirigeret. Quod hac fere via instituisse videatur. Nefarius quidam Valeriae Messalinae adulator, detorto corpore facetiisque scurrilibus insignis, libidinosissimam mulierem gravis periculi admonuit, quod ipsi filioque Britannico a Domitio, Agrippinae filio et Germanici nepote, flore nobilitatis et populi Romani deliciis immineret. Monuit quanta esset nobilitatis et antiquae gentis apud animos hominum vis, quid valeret apud populum

Romanum grata Germanici memoria, cuius unica suboles Domitius ab omnibus et haberetur et diligeretur. Ea occasione large invectus est in nobiles et antiquae familiae homines, admixtis fortasse dictis acutis quidem sed parum decoris. Qua via Maternus hoc assecutus est, ut Vatinium non modo hominem malitiosum et abiectum adulatorem pingeret, sed eundem simul verum inimicum et unicum adversarium Neronis ostenderet. Vatinium enim in isto Claudianae aetatis adulatore homines facile agnoscebant. Messalina vero (sic progressum fabulae mihi cogito) magni domus suae discriminis commonefacta familiarem istum interrogavit, quomodo huic malo medendum esset. Ipsi ad deterrima prompto tutissimum visum est mittere, qui Domitium meridiantem strangularent. Placuit idem Messalinae. Sicarii iam usque in cubiculum, in quo puer Domitius medio die quiescebat, progrediuntur, sed ingenti miraculo ab uno vel duobus draconibus in fugam reiecti sunt. Haec non agi coram oculis spectantium (*spectantes* cum dico in fabula recitanda tantummodo et legenda, haud stricte proprieve eam vocem accipiendam esse patet), sed a sicariis Messalinae eiusque adulatori narrari poeta, opinor, instituit. Inde miratio et desperatio, et postremo acerba persuasio, Domitium ope divina conservari in eumque nihil triste cum aliqua eventus spe patrari posse. Is fabulae finis videtur fuisse. Neronem vero, qui aut recitationi ipse interfuit aut editam Domitium cupide legit, ab hac die Vatinii pigere coepit, hominemque contemptui publico expositum ab aula sua et amicitiae consuetudine removit. Plura quidem ex his coniectura nituntur, sed summum totius rei caput minime nutat, dico Domitium puerum in eo opere monstratum et fabulam vivo etiam tum Nerone recitatam et fractam ab hoc inde tempore

Vatinii potentiam. Nam quod Maternus apud Tacitum de successu primae suae fabulae narrat, rem esse in facto positam atque in ea mentione nihil fictum esse vel auctum, id ultra omnem dubitationem certum firmumque consistit. Scilicet Maternus apud amicos aequales et rerum quas ipse memorat bene gnaros loquitur et idem a Tacito talis inducitur, ut de semet ipse non nisi pudice et modice verba faciat.

Sequitur ut auxilio eiusdem loci, de quo diu iam disputavimus, Domitii fabulae recitatione vulgatae tempus accuratius definiamus. Iam primum certe post annum a Christo nato sexagesimum quartum Domitius recitata est: hoc enim anno favore Neronis eximio Vatinius etiam gaudebat. Lege Taciti Ann. XV 34 et 35. Posthac usque ad medium annum sexagesimum octavum Nero rebus Romanis illusit. Sed neque anno sexagesimo quinto neque priore parte anni sexagesimi sexti Vatinius ex familiaritate Neronis cecidisse putandus est: nam Annales Taciti, quantum eius operis nobis servatum est, usque ad medium fere annum sexagesimum sextum perdurant, neque tamen Vatinii de Neronis favore deiecti mentionem iniiciunt, quam rem silentio a Tacito transmissam esse quominus credamus, impedit aliorum et similium eiusdem operis locorum comparatio, veluti XIII 1 et 14, XIV 65. Neque vero anno sexagesimo septimo, quo Nero per Graeciam peregrinatus est et coronas gymnicas meruit, Domitii recitatio accidit. in Graeciam Nero transiit mense Novembri anni 66 et inde reversus est sub initium anni 68 et eiusdem anni mense Martio de motu Vindicis audivit. Vid. Reimari adnot. ad Dion. LXIII 8 et 22. Itaque intra id temporis intervallum, quod a medio anno sexagesimo sexto usque ad Novembrem eiusdem anni aut ab initio anni

sexagesimi octavi usque ad mensem Martium effluxit, Domitii recitatio et fracta Vatinii potentia includenda videtur. Ac sane ab anni sexagesimi sexti fine in rebus et malis Romanorum nullus comparet Vatinius: quippe neque inter eos commemoratur qui validissimi in amicitia principis Neronem extremo anno 66 in Achaiam proficiscentem comitati [8]) sunt (fuere Tigellinus et Sporus et Galvia Crispinilla, postremo etiam Helius libertus, ex probis hominibus Cluvius Rufus), neque inter eos qui Romae interim omnia agebant rapiebantque (Policlitus et Helius), neque unus eorum fuit qui Neronem postremo discrimine aut deseruerunt (Nymphidius et Tigellinus) aut fugientem secuti sunt (Phaon, Epaphroditus, Sporus). Conf. Dio apud Xiphilinum LXIII 11—14 et 18—19 et 27. Suetonius Nerone c. 48—49. Atque idem Vatinius anno post Christum natum sexagesimo nono etiam diserto testimonio in numero mortuorum ab Othone relatus est [9]). Itaque a vero certe non longe aberrabimus, si Domitium aut sub finem anni a Christo nato sexagesimi sexti, cum Tiridates Armeniae rex Romam venit ac ludi et dies festi plurimi celebrati sunt (Dio ap. Xiphilinum LXIII 1—7. Sueton. Ner. 13 et 30. Plin. N. H. XXXIII 16), aut anni sexagesimi octavi principio, cum Nero ex itinere Achaico rediit iterumque

8) Quod crebra illa Vatinii vox (cf. p. XX) per occasionem itineris Achaici a Xiphilino Dionis epitomatore profertur, inde non consequitur cum Nerone Vatinium in hanc terram profectum esse.

9) Tacit. Hist. I 37: *septem a Neronis fine menses sunt, et iam plus rapuit Icelus quam quod Policliti et Vatinii et aegialii* (lege *et Helii et alii*) *perierunt* (scribe *perditum ierunt*). neminem ex his, cum Otho loqueretur, in vivis fuisse vel hinc satis manifestum est, quod nemo aut ad disquisitionem senatus paulo post vocatus aut a populo ad supplicium expostulatus est. conf. Tacit Hist. I 72 et 73, IV 6—8 et 10 et 40—44.

ludi plurimi facti sunt (Dio LXIII 20 et 21), si tunc, inquam, hanc Materni fabulam recitatam esse statuamus. Atque haec temporis nota ceteris egregie iam convenit, quae de Materni studiis accepimus. Scilicet Domitius prima eius fabula fuit et huius recitatione carminum gloriam auspicatus est; mox et causis agendis operam dedit et Medeam tragoediam conscripsit et Agamemnona edidit [10], denique Catonem praetextam recitavit sexto Vespasiani consulatu, h. e. anno post Christum natum septuagesimo quinto, proximo die ante quam colloquium illud a Tacito descriptum habitum esse fertur. Eodem tempore tragoediae novae et Thyestes inscriptae argumentum apud animum suum dispositum iam habebat [11].

Qui vero praecipuus huius de Domitio disputationis fructus habendus videtur, is in eo positus est quod nunc demum luculente apparet, quomodo Maternus vivo Nerone Caesare ipsum in fabula praetexta primas partes sustinentem inducere et tamen sine manifesto vitae periculo libertatem vocis suae tueri et ab adulando abstinere posset. Nam liberrimi spiritus hominem, qualem ex Taciti Dialogo cognovimus vitaeque exitu sese ipse probavit, coram Nerone in adulationes prolapsum esse nunquam credemus. Nimirum puerum Domitium, florem

10) Medeam in Materni tragoediis Aper apud Tacitum in Dial. c. 3 disertim memorat et c. 9 eandem respicit in mentione Iasonis personae ex Medea sumptae: *cui bono est, si apud te Agamemnon aut Iason diserte loquitur?* quemadmodum in his verbis *Iason* ex vera Materni fabula nominatur, sic etiam *Agamemnonis* personae commemoratio eiusdem nominis tragoediam Materni fuisse comprobat. cf. Welckeri Tragoed. Graec. t. III p. 1461.

11) Tacit. Dial. 3: *quodsi qua amisit Cato, sequenti recitatione Thyestes dicet. hanc enim tragoediam disposui iam et intra me ipse formavi.*

iuventutis ac nobilitatis, amores populi Romani descripsit, Claudium Neronem principem eiusque immanitatem, quae multo post cognita est, nihil curavit. Quod Nero laetissimam spem de se olim conceptam foede fefellit, id sua ipsius culpa factum erat, et hoc Maternus prudenter ignorare et reticere voluit. Sed nihilominus hac sua fabula satis ausus est ac multum periculi adiit: Vatinium enim praepotentem in amicitia saevi principis nisi inde deiecisset, ipse incolumis perdurare vix potuit. Itaque primo poeticae professionis ingressu Maternum nostrum virum fortem et liberum et audacem offendimus, qualem eundem rursus deprehendimus sub principatu Vespasiani, cum fabulam recitavit praetextam, qua Catonis Uticensis nobile letum et constantiam et libertatis amorem exposuit eoque vel Vespasiani patientissimi senis amicis displicuit (cf. Tacit. Dial. c. 2 et 3 et 10); eandem liberae vocis audaciam iam in iuvene Materno postremis Neronis temporibus incurrimus, qua senex multis annis post Domitiani Caesaris iram idem meruit et ultimo supplicio punitus est: v. Dio apud Xiphilinum LXVII 12.

IIII. Maternus imitator Senecae.

Qui dum in vivis erat et proximis temporibus in omni eloquentiae genere ceteris dux et auctor exstitit [12]),

12) Quintilianus X 1 125: *solus hic fere in manibus adolescentium fuit . . . . amabant autem eum magis quam imitabantur, tantumque ab eo defluebant quantum ille ab antiquis descenderat.* de Aulo Persio Suetonius tanquam rarum quoddam refert, eum Senecae ingenio non *captum* esse: *sero cognovit Senecam, sed non ut caperetur eius ingenio.* nimiam in moderandis aliorum ingeniis ac studiis Senecae potentiam Quintilianus demum infregit.

Lucius Annaeus Seneca, hunc etiam a Materno acri iuvene et eloquentiae studiis imbuto potissimum electum esse, quem imitaretur, id et per se vero non absimile videtur et nonnullis indiciis colligitur. Statim hoc observatu dignum est, eam fabulam, quae Materno carminum laudem prima conciliavit, proximo post Senecae mortem anno aut summum tertio recitatam esse, h. e. eo tempore quo Senecae memoria praeclare vigebat et ab omnibus etiam propter pulcherrimum vitae finem egregie colebatur. Hoc tamen forte fortuna potest evenisse: sed quod ad casum non facile referas, quot Materni nominantur tragoediae, *Agamemnon, Medea*, *Thyestes*, hasce a Seneca ante compositas atque etiamnum superstites ille iterum scribere et cum auctore suo quasi certare adgressus est. Idem Senecam ducem etiam ita secutus est ut fabulas suas non histrionibus agendas committeret, id quod Pomponius Secundus aequalis aetate paulo maior fecit, sed recitantem se audientibus et mox legentibus quae scripsisset carmina destinaret. Quapropter dubitari nequit, quin insigne chori decus, sed quod in Romani theatri orchestram induci non posset, dramatis suis adsciverit, etiam in hac re Senecae exemplum imitatus. Imitatorem non prorsus exemplaris sui virtutem et praestantiam assecutum esse per se verisimile videtur et de omnibus Senecam aemulantibus idem hoc Quintilianus testatus est. Eximiae laudes quae in Maternum ab interlocutoribus Tacitini Dialogi [13] conferun-

13) c. 33: *vos, Materne ac Secunde, ita gravitati sensuum nitorem et cultum verborum miscetis, ea electio inventionis, is ordo rerum, ea, quotiens causa poscit, ubertas, ea, quotiens permittitur, brevitas, is compositionis decor, ea sententiarum planitas est, sic exprimitis affectus, sic libertatem temperatis, ut, etiamsi nostra iudicia malignitas et invidia tardaverit, verum de vobis*

tur, diversam sententiam adprobare non possunt: quippe loquuntur amici homines ac verbis honorificis nihil parcentes, et Tacitus ipse novus in scribendo modicae virtutis oratores in eo opere praeclare laudavit, postremo non tam carminum praestantia quam dicendi facultas atque animus acer et liber in Materno celebratur. Quintilianus quidem, qui Pomponium Secundum magnis laudibus cumulat (X 1 98), Senecam et celebrat et vituperat, Materni ne verbo quidem mentionem iniecit.

Una tamen in re Maternus a Seneca et omnibus sui saeculi poetis tragicis discessit ac suam viam ingredi ausus est. Nimirum Graecis tragoediarum argumentis haud contentus etiam Romanas historias ac sui populi nomina Graecorum fabulis adgregare suscepit, et fabulae genus olim liberis rei publicae temporibus magno successu cultum, sed mox neglectum ac paene in oblivionem deductum in vitam excitare conatus est. In eo autem genere qui Materni vestigia posthac secutus sit, nemo sive vixit sive in litteris Latinis memoratur. Quae cum ita sint, quis Octaviam praetextam, quam tribus *minimum* annis post Senecae obitum a poeta Neroni propemodum aequali factam et ratione a Seneca monstrata ab imitatore paulo inferiore expressam esse vidimus, fabulam recitationi et legentibus, non scenae et histrionibus compositam, scripsisse iustius videbitur, quam Maternus Senecae imitator aetate et tragica virtute paulo

dicturi sint posteri nostri. cf. c. 10: *tecum mihi, Materne, res est, quod cum natura tua in ipsam arcem eloquentiae ferat, errare mavis et summa adeptus in levioribus subsistis.* ibidem: *efferrescet enim vis pulcherrimae naturae tuae: nec pro amico aliquo, sed quod periculosius est, pro Catone offendes.* c. 2: *cum offendisse potentium animos diceretur, tanquam in eo tragoediae argumento sui oblitus tantum Catonem cogitasset.*

minor atque unus hoc saeculo fabularum praetextarum scriptor et recitator?

Hinc rursus nonnulla, quorum ratio in dispositione Octaviae alioqui mira aut obscura videatur, lumine suo collustrantur. Scilicet tota fere fabula singulis quibusdam declamatiunculis recitationi peraptis sed inter se parum connexis constat: contra actionis est insignis inopia, neque severa observatio scenae, in quam dramatis personae producuntur, agnoscitur. Etiam quod chori cantica solis anapaestis absolvuntur, recitationis gratia institutum videtur: anapaesti enim κατὰ στίχον compositi ad recitandum aptissimi sunt, numeri mutantes et varii canentibus bene conveniunt, sed a recitante difficilius efferuntur.

Iam si recte meritoque Octaviam ad Maternum auctorem rettulimus, eam tamen post annum a Christo nato septuagesimum quintum in lucem editam esse dicemus. Adhuc enim Maternus duas tantummodo praetextas evulgaverat, Domitium et Catonem. Octaviam vero post scriptam et recitatam Tacitus in Dialogo suo commemorare nondum potuit. Neque vero indicia aetatis ex Octavia ante a nobis prolata huic rei adversantur: nihil enim iis ostensum est nisi hoc, tribus *minimum* annis post Senecae mortem eam fabulam compositam esse.

V. Quaedam de eventu Octaviae, sed in coniectura posita.

De vitae fine Materni Xiphilinus in Domitiani rebus anno nonagesimo primo post Christum natum perpatratis haec pauca refert LXVII 12: *Μάτερνον δὲ σοφιστήν, ὅτι κατὰ τυράννων εἶπέ τι ἀσκῶν, ἀπέκτεινε.*

Quae verba qui sic dicta acceperunt, quasi Maternus declamatione quadam acrius in tyrannos scripta Domitianum laeserit eiusque audaciae poenam ultimum supplicium subierit, hi non reputaverunt Maternum iam sedecim annis ante principe Vespasiano a forensi labore et dicendi negotio sese deiunxisse et carminibus totam vitam insumere voluisse. Vid. Tacit. Dial. c. 4 et 9 et 11 et 13. Quapropter quae Maternus Domitiano imperante adversus tyrannos declamavit, intelligendae sunt potius orationes dominantium flagitia exsecrantes, quas in tragoedia aliqua vel praetexta ediderat. *Sophista* Maternus appellatur, quia totum hoc recitandi negotium ad dicendi genus ἐπιδεικτικὸν recte refertur. Ac mihi quidem animo reputanti has declamationes adversus tyrannos a Materno prolatas iterum sponte se obtulit Octavia nostra. Etenim quae fabula plures in tyrannorum libidinem et crudelem animum orationes contineat, non facile reperiatur. Cf. v. 84—90, 226 sqq., 237 sqq., 429 sqq., 618 sqq., 660 sqq., 675 sqq., 960 sq. Haec et his similia de Nerone dicta Domitianus, homo non minus suspicax quam saevus, quem alterum calvumque Neronem ferebant, etiam in se conscripta existimare eamque ob causam poetam aversari et improba poena persequi potuit.

Sed huic coniecturae non multum ipse tribuerem, nisi aliud accederet argumentum, quo ad eandem de Octaviae eventu sententiam deducamur. Nimirum quemadmodum in hac fabula Nero legitimam uxorem suam Octaviam expulit ac pellicem Poppaeam Sabinam adscivit, sic Domitianus coniugem suam Domitiam repudiavit (anno post Chr. 83 = 836 ab u. c.) ac nefarium cum Iulia Titi fratris filia amoris commercium habuit, mox quidem Domitiam populo sive flagitante sive quasi flagitante reduxit, sed illicitam cum Iulia consuetudinem

etiam tum non omisit [14]. Insignis igitur utriusque principis similitudo non solum in ingenio ad crudelitatem proclivi sed etiam in vita ac turpitudine domestica exstitit. Itaque vix mirum videbitur, si hoc fabulae argumentum sua causa electum esse et ad se diffamandum exornatum Domitianus, ad suspicandum nimium promptus, existimavit et hoc ausum mortis poena castigandum esse putavit. Quae si in hunc modum acciderunt, facile inde explicari potest, cur, cum ceterae Materni tragoediae omnes interirent, una Octavia tamen superstes servaretur. Quippe hanc viri praeclari atque oris libertate conspicui mortis causam homines suspiciebant, anquirebant, lectitabant, eoque ab interitu haec sola vindicata est.

Verum haec quae diximus de eventu Octaviae, ea in medio, ut decet, relinquemus: sed ut verus eius auctor tandem agnoscatur, multa vestigia huc nos ducentia ita concurrunt, ut ad plenam eius rei fidem nihil desit nisi disertum quoddam testimonium; quod donec invenietur (et nihil sane in his rebus desperandum est), his internis argumentis interim contenti certiora et omnem dubitationem tollentia exspectemus.

14) Conf. Xiphil. LXVII 3: *τὴν δὲ γυναῖκα τὴν Δομιτίαν ἐβουλεύσατο μὲν σφάξαι ἐπὶ μοιχείᾳ, παρακληθεὶς δὲ ὑπὸ τοῦ Οὔρσου ἀπεπέμψατο, τὸν Πάριν τὸν ὀρχηστὴν ἐν μέσῃ τῇ ὁδῷ δι' αὐτὴν φονεύσας . . . . καὶ ἐκ τούτου τῇ ἀδελφιδῇ τῇ ἰδίᾳ, ἤγουν τῇ Ἰουλίᾳ, ἀπαρακαλυπτότερον ὡς γαμετῇ συνῴκει. εἶτα δεηθέντος τοῦ δήμου* (hoc Dionis fragmentum ex Zonara ab editoribus Dionis additum est), *κατηλλάγη μὲν τῇ Δομιτίᾳ, ἐχρῆτο δ' οὐδὲν ἧττον τῇ Ἰουλίᾳ.* Sueton. Domit. c. 3: *deinde uxorem Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu filium tulerat, alteroque anno consalutaverat ut Augustam, eandem Paridis histrionis amore deperditam repudiavit, intraque breve tempus im-*

VI. Octaviae recognoscendae notisque instruendae ratio.

Relicuum est ut pauca de hac fabulae recognitione et explicatione addam. Libros editos tragoediarum Senecae et veteres et novos diligenter consului, scriptos adhibere non licuit. In illis aegre tuli quod nemo editorum lectionis varietatem ex melioribus aliquot codicibus plenam enotavit, ac saepe optavi, ut bonus ille Torkillus Badenius, qui Vindobonae, Romae, Neapoli septendecim libros manu scriptos tragoediarum Senecae inspexit, ex duobus tribusve notae melioris omnem scripturae discrepantiam attulisset quam omnibus negligenter versatis id laboris sui praemium ferre maluisset, ut Senecam edisceret. Sic ille suae ac rarae cuidam scientiae consuluit, aliis sive nihil sive paulum profuit. In Octaviae locis plerisque tradita meliorum codicum scriptura sufficiebat: si secus erat, coniecturas virorum doctorum adscivi, sed eas tantummodo quas ipse vindicare possem; quae si deerant, et locos tamen corruptos offendebam, veluti v. 50 et 145 et 243 et 361 et 391 et 400 et 460 et 789 et 798 et 870, ipse vitia

patiens discidii, quasi efflagitante populo, reduxit. vid. ibid. c. 22: *fratris filiam . . . ardentissime palamque dilexit, ut etiam causa mortis exstiterit coactae conceptum a se abigere.* Plin. Epistol. IV 11: *cum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum sed etiam occidisset: nam vidua abortu periit.* Iuliae abortum suo more describit Iuvenalis II 29:

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu; qui tunc leges revocabat amaras
Omnibus atque ipsis Veneri Martique timendas,
Cum tot abortivis fecundam Iulia vulvam
Solveret et patruo similes effunderet offas.

emendare adgressus sum, sed parce et invitus. Multis enim experimentis hoc didici, editores plerumque acrius cernere in aliorum coniecturis aut probandis aut reiiciendis quam suis inventis iusto modulo aestimandis, exceptis tamen admodum paucis qui aut in manifestis et certissimis aliorum emendationibus incerti ac dubii haerent, ubi scripta littera vel tantillum relinquenda est, aut suis opibus adeo delectantur, ut alienas quascunque fastidire et respuere malint. Ubi loci aegrotantis medicina minus certa aut vulgata scriptura quodammodo defendi posse videbatur, coniecturam in adnotatione ponere quam in contextum verborum inferre satius duxi.

Ut fabula sine multo labore magnove otii dispendio legi intelligique posset, brevioribus adnotationibus more antiquo et probato in margine superiore collocatis et uberioribus nonnullis in inferiorem relegatis operam dedi. Haec hactenus: tu, lector benivole, vale mihique fave.

Scripsi Bonnae ad Rhenum sub finem mensis Octobris a. 1842.

O C T A V I A

CVRIATIO MATERNO

RESTITVTA.

DRAMATIS PERSONAE.

OCTAVIA.

NVTRIX OCTAVIAE.

CHORVS ROMANORVM.

SENECA.

PRAEFECTVS.

POPPAEA.

[NVTRIX POPPAEAE *)].

AGRIPPINA.

NERO.

NVNTIVS.

*) v. adnotatio ad v. 690.

OCTAVIAE

ACTVS PRIMVS.

Octavia.

Iam vaga caelo sidera fulgens
Aurora fugat, surgit Titan
Radiante coma mundoque diem
Reddit clarum.
Age tot tantis onerata malis,
Repete adsuetos iam tibi questus,
Atque aequoreas vince Halcyonas,
Vince et volucres Pandionias:
Gravior namque his fortuna tua est.
Semper genitrix deflenda mihi,
Prima meorum causa malorum,
Tristes questus natae exaudi,
Si quis remanet sensus in umbris.

Neroni coniugi iam invisa et suas aerumnas queritur et caedem matris Messalinae necemque patris Claudii Caesaris deplorat.

4. *reddit clarum:* quod sequitur *age tot tantis* hiatum inferret illicitum, nisi admisso ante monometro huic incommodo prospiceretur. cf. 362 *vivere matrem Impius* cet. 657 *non uxor ero. Absint* cet. adiice quod etiam sententiae finis hanc sedem monometri commendat, perinde ac v. 20 post *invisa magis.* Aliam notam monometri numerique conclusi, syllabam ancipitem dico, offendimus v. 28 post *terga dedere.* cf. 203 *divumque pater.* 654 *coniugis ora.* 927 *firmum et stabile* 957 *remigis ante.*

Utinam ante manu grandaeva sua
Mea rupisset stamina Clotho,
Tua quam maerens vulnera vidi,
Oraque foedo sparsa cruore.
O lux semper funesta mihi:
Tempore ab illo lux est tenebris
Invisa magis.
Tulimus saevae iussa novercae,
Hostilem animum vultusque truces.
Illa illa meis tristis Erinys
Thalamis Stygios praetulit ignes;
Teque extinxit, miserande pater,
Modo cui totus paruit orbis
Ultra Oceanum, cuique Britanni
Terga dedere,
Ducibus nostris ante ignoti
Iurisque sui. Coniugis, heu me,
Pater, insidiis oppresse iaces,
Servitque domus cum prole tua
Capta tyranno.

Tacit. Ann. XI 26–38. Sueton. Claud. 26. Dio Cassius LX 31.

Tacit. XII. 66. Sueton. l. c. 44. Dio LX 34.

Nutrix Octaviae.

Alumnae suae Fulgore primo captus et fragili bono

19. *lux est tenebris invisa magis:* repetitum nomen *lucis* nihil ingrati habet vel incommodi, ut recte tentari atque in *nox* mutari potuerit, quemadmodum cum aliis Bothius voluit: nam paulo ante *lux* dicta est pro certo quodam die, quo Messalina finem vitae olim invenerat: iam *lux* nocti opponitur et lumen tempusque diurnum denotat.

49. *atque odio pari ardens maritus mutua flagrat face:* Nero princeps in uxorem suam pari odio atque Octavia in ipsum ardet, sed idem *mutua face flagrat*, hoc est aliam amat ab eaque vicissim amatur: quippe postremis verbis amor Neronis et Poppaeae Sabinae significatur, in quo totius fabulae argumentum

Fallacis aulae quisquis attonitus stupet, sortem miseram describit.
Subito labantis ecce Fortunae impetu
Modo praepotentem cernat eversam domum
Stirpemque Claudi, cuius imperio fuit
Subiectus orbis, paruit liber diu
Oceanus et recepit invitus rates.
En qui Britannis primus imposuit iugum, Sueton. 17. Dio LX 19. Tacit. Agr. 13.
Ignota et ante classibus texit freta,
Interque gentes barbaras tutus fuit
Et saeva maria, coniugis scelere occidit,
Mox illa nati; cuius extinctus iacet
Frater venenis, maeret infelix soror Tacit. Ann. XIII 16. Suet. Ner. 33. Dio ap. Xiphil. LXI 7.
Eademque coniux; nec graves luctus valet
Ira coacta tegere. Crudelis viri
Secreta refugit semper, atque odio pari
Ardens maritus mutua flagrat face.
Animum dolentis nostra solatur fides
Pietasque frustra: mutat immitis dolor
Consilia nostra, nec regi mentis potest
Generosus ardor, sed malis vires capit.
Heu quam nefandum prospicit noster timor
Scelus, quod utinam numen avertat deum.

41. *Britannis* Scaliger: codices *ora tanais*. 42. *et ante* Lipsius: codices *tantis*. 50. *ardens maritus*] *ardens mariti* codices: Gronovius *ardet maritus* et mox *flagrant*, Bothius *amens maritus* ex libro Ultraiectino.

praecipue versatur. *fax* est amoris et *mutua fax*, quia *mutui animi* (cf. Catull. XLV 20) accensi flagrant. *odii* facem si dici statuas, iners tautologia nascitur.

52. *mutat immitis dolor consilia nostra*: in contrarium ut recidant consilia nostra et adhortationes pacis et amoris, immitis alumnae dolor efficit. frustra haeretur in voce *mutat*.

Mala sua deflere pergit. mox modestiam ei obsequiumque nutrix commendat, atrocia consilia dissuadet.

Octavia.

O mea nullis aequanda malis
Fortuna, licet repetam luctus,
Electra, tuos. Tibi maerenti
Caesum licuit flere parentem,
Scelus ulcisci vindice fratre,
Tua quem pietas hosti rapuit
Texitque fides: me crudeli
Sorte parentes raptos prohibet
Lugere timor, fratrisque necem
Deflere vetat, in quo fuerat
Spes una mihi
Totque malorum breve solamen.
Nunc in luctus servata meos
Magni resto nominis umbra.

Nutrix.

Vox, heu, nostras perculit aures
Tristis alumnae. Cessas thalamis
Inferre gradus, tarda senectus?

Octavia.

Excipe nostras lacrimas, nutrix,
Testis nostri fida doloris.

Nutrix.

Quis te tantis solvet curis,
Miseranda, dies?

Octavia.

Qui me Stygias mittet ad umbras.

58. *licet repetam luctus, Electra, tuos: repetam* est mente memoriaque repetam ac bene convenit praecedenti verbo *aequanda*, h. e. verbis sive descriptione aequanda et comparanda. moneo propter Bothium *libens* pro *licet* coniicientem.

64. *parentes raptos prohibet lugere timor:* consentit in hoc Cornelius Tacitus Ann. XIII 16: *Octavia quoque, quamvis rudibus*

Nutrix.

Omina, quaeso, sint ista procul.

Octavia.

Non vota meos tua nunc casus,
Sed fata regunt.

Nutrix.

Dabit adflictae
Meliora deus tempora mitis.
Tu modo blando vince obsequio
Placata virum.

Octavia.

Vincam saevos
Ante leones tigresque truces
Fera quam saevi corda tyranni.
Odit genitos sanguine claro,
Spernit superos hominesque simul,
Nec fortunam capit ipse suam,
Quam dedit illi per scelus ingens
Infanda parens. Licet ingratum
Dirae pudeat munere matris
Hoc imperium cepisse, licet
Tantum munus morte rependat: Tacit. XIV 1—9. Sueton. 34. Dio ap. Xiphil. LXI 12.
Feret hunc titulum post fata tamen
Femina longo semper in aevo.

Nutrix.

Animi retine verba furentis,
Temere emissam comprime vocem.

annis, dolorem caritatem, omnis affectus abscondere didicerat.

69. *nunc in luctus servata meos:* Gronovius *meros* suo ingenio repertum commendavit, Bothius in contextum verborum recepit: sed *meos* pronomen cum quadam vi positum est pro *meos unius.* ante enim socium doloris et maeroris fratrem habuerat: nunc sola in suos luctus relicta est.

OCTAVIA.

Toleranda quaevis patiar: haud unquam queant
Nisi morte tristi nostra finiri mala.
Genitrice caesa, per scelus rapto patre,
Orbata fratre, miseriis luctu obruta,
Maerore pressa, coniugi invisa ac meae
Subiecta famulae luce non grata fruor,
Trepidante semper corde, non mortis metu,
Sed sceleris. Absit crimen a fatis meis:
Mori iuvabit. Poena nam gravior nece est
Videre tumidos et truces miserae mihi
Vultus tyranni iungere atque hosti oscula,
Timere nutus, cuius obsequium meus
Haud ferre posset fata post fratris dolor,
Scelere interempti, cuius imperium tenet
Et sorte gaudet auctor infandae necis.
Quam saepe tristis umbra germani meis
Offertur oculis, membra cum solvit quies

99. *quaevis* Lipsius: codices *quamvis*. 113. *sorte* Lipsius: codices *morte*.

104. *meae subiecta famulae: famulam* invidiose appellat Poppaeam quamvis illustri loco natam. cf. v. 656 et 952.

106. *absit crimen a fatis meis: mori iuvabit:* clarius his eloquitur quae ante dixit *non mortis metu, sed sceleris. mortem* fato missam libens amplectetur, scelere sive crimine Neronis partam aversatur. crimina ista a libertis et amicis principis in Octaviam conficta (v. Tacit Ann XIV 60 et 62 et 63) et hoc loco et in ceteris fabulae partibus aut ignoravit poeta aut ignorare voluit.

113. *et sorte gaudet:* quae Britannico sors dederat, ea ad interfectorem huius recciderunt. bene vero hanc sententiae formam Lipsius restituit: nam quod scripti libri praebent, *morte,* eo nihil languidius et vel hoc poeta indignius esse potest iuxta haec *auctor infandae necis.*

Et fessa fletu lumina oppressit sopor.
Modo facibus atris armat infirmas manus
Oculosque et ora fratris infestus petit,
Modo trepidus idem refugit in thalamos meos:
Persequitur hostis atque inhaerenti mihi
Violentus ensem per latus nostrum rapit.
Tunc tremor et ingens excutit somnos pavor,
Renovatque luctus et metus miserae mihi.
Adice his superbam pellicem, nostrae domus Tacit. XIII 45.
Spoliis nitentem; cuius in munus suam idem XIV 1.
Stygiae parentem natus imposuit rati,
Quam dira post naufragia superato mari
Ferro interemit, saevior pelagi fretis.
Quae spes salutis post nefas tantum mihi?
Inimica victrix imminet thalamis meis,
Odioque nostri flagrat et pretium stupri
Iustae maritum coniugis captat caput.
Emerge te umbris et fer auxilium tuae

122. *tunc*] immo *tum*. 133. codices *emergere undis: emerge te* Lipsius, *umbris* Gronovius, qui volebat *emerge ab umbris*.

117 — 121. *modo facibus atris — nostrum rapit:* duo eaque diversa Octavia videt per quietem; modo Britannicus hostem suum Neronem facibus atris infestus persequitur, modo ipse hostis hunc in sinum sororis refugientem insectatur atque fratrem suum et uxorem ferro transigit.

124. *superbam pellicem:* vero nomine h. l. Poppaeam Sabinam Octavia designavit. cf. adnot. ad v. 104.

132. *iustae maritum coniugis captat caput:* haec scripta sunt veterum poetarum Latinorum more, ut similiter sonantia iungantur. Gronovius *poscit* scribens pro *captat* elegantiam quandam huius loci corrupit cf. v. 289 *saevo suadente metu.* 360 *credula credet.* *maritum* adiectivi nominis vicem obtinere manifestum est, et monuit Bothius, v. 1802 ex Hercule Oetaeo Senecae apte collato.

Natae invocanti, genitor, aut Stygios sinus
Tellure rupta pande, quo praeceps ferar.

Nutrix.

Frustra parentis invocas manes tui,
Miseranda, frustra, nulla cui prolis suae
Tacit. XII 25. Manet inter umbras cura; qui nato suo
Praeferre potuit sanguine alieno satum,
idem XII 5. Genitamque fratre coniugem captus sibi
Toris nefandis flebili iunxit face.
Hinc orta series facinorum, caedes, doli,
Regni cupido, sanguinis diri sitis:
Tacit. XII 3 et 8. Mactata soceri concidit thalamis gener
Sueton. Claud. 27. Victima, tui ne fieret hymenaeis potens.
Proh facinus ingens. Feminae est munus datus
Silanus, et cruore foedavit suo
Tacit. XII 4. Patrios penates, criminis ficti reus.
Intravit hostis, hei mihi, captam domum
Dolis novercae, principis factus gener
Idemque natus, iuvenis infandi ingeni
Capaxque scelerum, dira cui genitrix facem
idem XII 58. Accendit et te iunxit invitam metu;
Tantoque victrix facta successu ferox,
Ausa imminere est orbis imperio sacri.

140. *fratre* Gronovius: codices fratris. 145. *(tui)* legebatur *tuis*.

145. *tui ne fieret hymenaeis potens:* h. e. ne compos tui fieret coniugio (*hymenaeis* sive celebratis nuptiis) qui gener destinatus erat (L. Silanus): id enim Agrippina Claudii uxor caveri voluit, ut filio suo Domitio coniux Octavia reservaretur. quod vulgo legitur, *tuis ne fieret hymenaeis potens*, hoc enuntiat, Silanum deiectam esse coniugio Octaviae et compulsum ad mortem, ne potentiam adipisceretur: sed id Agrippina minus curavit, immo omnia eo consilio in hac re fecit, ut filius suus Octaviae *potens hymenaeis* fieret.

Quis tot referre facinorum formas potest,
Et spes nefandas feminae et blandos dolos
Regnum petentis per gradus scelerum omnium?
Tum sancta Pietas extulit trepidos gradus,
Vacuamque Erinys saeva funesto pede
Intravit aulam, polluit Stygia face
Sacros penates, iura naturae furens
Fasque omne rupit: miscuit coniux viro — Tacit. XII 66—68. Sueton. Claud. 44. Dio LX 34. Iuven. V 147, VI 620. Plin. XXII 46.
Venena saeva, cecidit atque eadem sui
Mox scelere nati. Tu quoque extinctus iaces,
Deflende nobis semper infelix puer,
Modo sidus orbis, columen Augustae domus,
Britannice, heu me, nunc levis tantum cinis
Et tristis umbra, saeva cui lacrimas dedit — Tacit. XIII 16.
Etiam noverca, cum rogis artus tuos
Dedit cremandos, membraque et vultus deo
Similes volanti flamma fervens abstulit.

Octavia.

Extinguat et me, ne manu nostra cadat.

Nutrix.

Natura vires non dedit tantas tibi.

Octavia.

Dolor, ira, maeror, miseriae, luctus dabunt.

155. *orbis imperio sacri:* iusta permutatione orbem terrae sacrosanctae principis personae obedientem *sacrum* vocavit. quod Gronovius suadebat, *orbis imperio sacro*, id permutationem licentiamque tollit, sed verborum collocationem minus poeticam reddit.

169. *cui lacrimas dedit:* quod verbum *dedit* statim repetitur, hoc incommodum ita certe lenitur, ut idem verbum utroque loco non eadem ratione positum legatur: lacrimas enim alicui dare est lacrimas alicuius gratia effundere, sed dare rogo artus cum dicimus, verbum dare proprio suo significatu usurpamus. cf. adnotat. ad v. 19.

Nutrix.

Vince obsequendo potius immitem virum.

Octavia.

Ut fratrem ademptum scelere restituat mihi?

Nutrix.

Incolumis ut sis ipsa, labentem ut domum
Genitoris olim subole restituas tua.

Octavia.

Exspectat aliam principis subolem domus:
Me dira miseri fata germani trahunt.

Nutrix.

Confirmet animum civium tantus favor.

Octavia.

Solatur iste nostra, non relevat mala.

Nutrix.

Vis magna populi est.

Octavia.

Principis maior tamen.

Nutrix.

Respiciet ipse coniugem.

Octavia.

Pellex vetat.

Nutrix.

Invisa cunctis nempe.

Octavia.

Sed cara est viro.

187. *nondum uxor est:* responsio haec nutricis Octaviae dictum praecedens *sed cara est viro* corrigit monetque *virum* Poppaeae Neronem nondum dici nisi per abusum posse.

194. *nempe praelatam sibi:* cum in libris scriptis editisque Octaviae nomen ante haec omissum esset, Bothius id recte supplevit, sed idem etiam *subiecta et humilis — testatur suum* Octaviae perperam continuavit: Octavia enim tribus verbis sententiam a nutrice inchoatam ironice probat et invertit, non sese metui

Nutrix.

Nondum uxor est.

Octavia.

Iam fiet et genitrix simul.

Nutrix.

Iuvenilis ardor impetu primo furit,
Languescit idem facile nec durat diu
In venere turpi, ceu levis flammae vapos:
Amor perennis coniugis castae manet.
Violare prima quae toros ausa est tuos Tacit. XIII 12 et 46. Sueton. Ner. 50.
Animumque domini famula possedit diu,
Iam metuit eadem.

Octavia.

Nempe praelatam sibi.

Nutrix.

Subiecta et humilis, atque monumenta exstruit,
Quibus timorem fassa testatur suum:
Et hanc levis fallaxque destituet deus
Volucer Cupido. Sit licet forma eminens,
Opibus superba, gaudium capiet breve.
Passa est similes ipsa dolores
Regina deum, cum se formas
Vertit in omnes dominus caeli
Divumque pater,
Et modo pennas sumpsit oloris,
Modo Sidonii cornua tauri,

194. *metuit* Gruterus et ed. Caroli Fernandi: codices *metuet*. *Octaviae* nomen deest codicibus.

monens ab Acte liberta, sed novam pellicem Poppaeam Sabinam: nutrix autem haec non curans enuntiatum suum modo coeptum explet et absolvit. *nempe* similiter in responsione dictum v. 186. quae fuerint monumenta ab Acte liberta exstructa nescimus: equidem sepulcralia fuisse coniicio. cf. Praefatio.

Aureus idem fluxit in imbri.
Fulgent caelo sidera Ledae,
Patrio residet Bacchus Olympo,
Deus Alcides possidet Heben,
Nec Iunonis iam timet iras,
Cuius gener est qui fuit hostis.
Vicit sapiens tamen obsequium
Coniugis altae pressusque dolor:
Sola tonantem tenet aetherio
Secura toro maxima Iuno,
Nec mortali captus forma
Deserit altam Iuppiter aulam.
Tu quoque, terris altera Iuno,
Soror Augusti
Coniuxque, graves vince dolores.

Octavia.

Iungentur ante saeva sideribus freta
Et ignis undae, Tartaro tristi polus,
Lux alma tenebris, roscidae nocti dies,
Quam cum scelesti coniugis mente impia
Mens nostra, semper fratris extincti memor.

212. *tamen*] immo *tandem*. 231. *infaustam* pro *infestam* Heinsius.

206. *fluxit in imbri:* eandem imaginem a repetitionibus non alienus exhibet v. 771:

Et tibi, quondam cui miranti
Fulvo, Danaë, fluxit in auro.

conf. Sever. Aetna 89: *Iuppiter ut Danaae pretiosus fluxerit imber.*

230—236. *vidimus caelo — dux impius*: Tacit. Ann. XIV 22: *inter quae et sidus cometes effulsit, de quo volgi opinio est tanquam mutationem regnis portendat.* Seneca Nat. Quaest. VII 17: *nec est quod putemus eundem* (cometen) *visum esse sub Claudio quem sub Augusto vidimus, nec hunc qui sub Nerone Caesare apparuit et cometis detraxit infamiam* (haec Seneca addit Neronis

Utinam nefandi principis dirum caput
Obruere flammis caelitum rector paret,
Qui saepe terras fulmine infesto quatit
Mentesque nostras ignibus terret sacris
Novisque monstris. Vidimus caelo iubar
Ardens cometam pandere, infaustam facem,
Qua plaustra tardus noctis aeterna vice
Regit Bootes, frigido Arctoo rigens.
En ipse diro spiritu saevi ducis
Polluitur aether: gentibus clades novas
Minantur astra, quas regit dux impius.
Non tam ferum Typhona neglecto Iove
Irata tellus edidit quondam parens:
Haec gravior illo pestis, hic hostis deum
Hominumque templis expulit superos suis
Civesque patria; spiritum fratri abstulit,
Hausit cruorem matris, et lucem videt
Fruiturque vita noxiamque animam trahit.
Proh summe genitor, tela cur frustra iacis
Invicta totiens temere regali manu?
In tam nocentem dextra cur cessat tua?

gratia), *illi similem fuisse, qui post necem divi Iulii . . . emersit.* ibid. c. 21: *sex mensibus hic, quem nos Neronis principatu laetissimo vidimus, spectandum se praebuit, in diversum illi Claudiano circumactus.* add. c. 29.

233. *frigido Arctoo rigens:* Arctoum dixit pro *Arcto* sive *Arcturo* metri gratia, eadem usus licentia qua Catullus XXIX 8 *Adoneum* pro *Adoni* admisit.

234. *diro spiritu saevi ducis polluitur aether:* sicut cometes *dux saevus* aetheris appellatur, ita paulo post Nero *dux impius* gentium terrarumque denotatus est.

244. *tela cur frustra iacis — temere regali manu: frustra* particula respicit eventum qui nullus est, *temere* pertinet ad consilii Iovis inopiam. Bothius frustra haesit.

Utinam suorum facinorum poenas luat
Nero, ipse diro Domitio genitus patre,
Orbis tyrannus, quem premit turpi iugo,
Morumque vitiis nomen Augustum inquinat.

Nutrix.

Indignus ille, fateor, est thalamis tuis;
Sed cede fatis atque fortunae tuae,
Alumna, quaeso, neve violenti move
Iram mariti. Forsitan vindex deus
Exsistet aliquis laetus et veniet dies.

Octavia.

Gravi deorum nostra iam pridem domus
Urgetur ira, prima quam pressit Venus
Furore miserae dira genitricis meae:
Quae nupta demens nupsit incesta face,
Oblita nostri, coniugis, legum immemor.
Illo soluta crine, succincta anguibus
Ultrix Erinys venit ad Stygios toros,
Raptasque thalamis sanguine extinxit faces;
Incendit ira principis pectus truci
Caedem in nefandam. Cecidit infelix parens,
Heu, nostra ferro meque perpetuo obruit
Extincta luctu. Coniugem traxit suum
Natumque ad umbras, prodidit lapsam domum.

248. *diro*] legebatur *divo*. 261. *illo* corruptum est: fortasse fuit *illico* correpta prima syllaba.

248. *diro Domitio genitus patre:* quod *diro* pro *divo* scripsi, facile tuebitur Suetonius Nerone c. 5: *ex Antonia maiore patrem Neronis procreavit* (Domitius avus Neronis) *omni parte vitae detestabilem.* cet. ibid. 6: *de genitura eius* (Neronis) *statim multa et formidulosa multis coniectantibus praesagio fuit etiam Domitii patris vox, inter gratulationes amicorum negantis quicquam ex se et Agrippina nisi detestabile et malo publico nasci potuisse.*

Nutrix.

Renovare luctus parce cum fletu pios,
Manes parentis neve sollicita tuae,
Graves furoris quae sui poenas dedit.

Chorus.

Quae fama modo venit ad aures,
Utinam falso credita perdat
Frustra totiens iactata fidem,
Nec nova nostri coniux thalamos
Principis intret, teneatque suos
Nupta penates Claudia proles:
Edat partu pignora pacis,
Qua tranquillus gaudeat orbis
Servetque decus Roma aeternum.
Fratris thalamos sortita tenet
Maxima Iuno: soror Augusti
Sociata toris cur a patria
Pellitur aula? sancta quid illi
Prodest pietas divusque pater?
Quid virginitas castusque pudor?
Nos quoque nostri sumus immemores
Post fata ducis, cuius stirpem
Prodimu' saevo suadente metu.
Vera priorum virtus quondam

Octaviae discidium et nuptias Poppaeae aversatur fautor bonorum. idem prioris aevi viros fortes regum superbiam exsilio fugaque vindicantes laudibus celebrat, praesentem improbans patientiam; postremo saevitiam Neronis ostendit matrisque caedem ab immani filio iussam multis exsequitur.

279. *qua*] puto *quis*. 289. codices plerique *prodimus saevo*, nonnulli *prodimus aevo*.

261. *illo:* corruptam hanc pronominis formam pro *illuc* Badenius accepit, sed id propter subsequens *ad Stygios toros* probari nequit. *Stygii tori* sunt qui caedem ac perniciem afferunt.

289. *prodimu' saevo suadente metu:* libri scripti *prodimus*. id quomodo ortum sit, corrupta aliquot codicum scriptura, *aevo* pro *saevo* exhibentium, luculente monstrat: quippe prima vocis *saevo* littera adhaesit extrema praecedenti *prodimu*, ut fieret *pro-*

2

Romana fuit, verumque genus
Martis in illis sanguisque viris.
Illi reges hac expulerunt
Urbe superbos, ultique tuos
Sunt bene manes, virgo, dextra
Caesa parentis, ne servitium
Paterere grave, aut improba ferret
Praemia victrix dira libido.
Te quoque bellum triste secutum est,
Mactata tua, miseranda, manu,
Nata Lucreti,
Stuprum saevi passa tyranni.
Dedit infandi sceleris poenas
Cum Tarquinio Tullia coniux,
Quae per caesi membra parentis
Egit saevos impia currus,
Laceroque seni violenta rogos
Nata negavit.
Haec quoque nati videre nefas
Saecula magnum, cum Tyrrhenum
Rate ferali princeps captam
Fraude parentem misit in aequor.
Properant placidos linquere portus
Iussi nautae; resonant remis
Pulsata freta.

dimus aevo; inde prius vitium omnes libros, posterius nonnullos occupavit. formam *prodimus* hic noster ex vestigiis aetatis vetustae tenuit, quemadmodum etiam Catullus *dabi* pro *dabis* CXVI 8. eodem pertinet quod mox v. 293 sequitur, *expulerunt* correpta paenultima syllaba.

313. *properant — portus:* Tacit. Ann. XIV 5: *noctem sideribus inlustrem et placido mari quietam, quasi convincendum ad scelus, di praebuere.*

Fertur in altum provecta ratis,
Quae resoluto robore labens
Pressa dehiscit sorbetque mare.
Tollitur ingens clamor ad astra
Cum femineo mixtus planctu.
Mors ante oculos dira vagatur,
Quaerit leti sibi quisque fugam:
Alii lacerae puppis tabulis
Haerent nudi fluctusque secant,
Repetunt alii littora nantes,
Multos mergunt fata profundo.
Scindit vestes Augusta suas
Laceratque comas
Rigat et maestis fletibus ora.
Postquam spes est nulla salutis,
Ardens ira, iam victa malis,
'Haec', exclamat, 'mihi pro tanto
Munere reddis praemia, nate?
Hac sum, fateor, digna carina,
Quae te genui, quae tibi lucem
Atque imperium nomenque dedi
Caesaris amens.
Exsere vultus Acheronte tuos
Poenisque meis pascere, coniux:
Ego causa tuae, miserande, necis,

317. 318. *quae resoluto — sorbetque mare:* dissentit Tacitus l. c.: *nec dissolutio navigii sequebatur*, cet.

324. *haerent nudi:* intellige nocturno tempore somno lectoque excitatos.

332—344. *haec exclamat — aequoris undis*: opportunitatem declamationis inserendae scriptor fabulae dimittere noluit. re vera tacuit Agrippina, cum subiit periculum: Tacit. l. c.: *Agrippina silens, eoque minus agnita, unum tantum volnus humero excepit.*

Natoque tuo funeris auctor.'
En, ut merui,
Ferar ad manes inhumata tuos,
Obruta saevis aequoris undis'.
Feriunt fluctus ora loquentis;
Ruit in pelagus
Rursumque salo pressa resurgit.
Pellit palmis cogente metu
Fata et cedit fessa labori.
Mansit tacitis in pectoribus
Spreta tristi iam morte fides:
Multi dominae ferre auxilium
Pelago fractis viribus audent,
Brachia quamvis lenta trahentem
Voce hortantur manibusque levant.
Quid tibi saevi fugisse maris
Profuit undas?
Ferro es nati moritura tui,
Cuius facinus vix posteritas
Tarde semper credula credet.
Furit ereptam pelago atque dolet
Vivere matrem
Impius, ingens geminatque nefas.
Ruit in miserae fata parentis
Patiturque moram sceleris nullam.

361. *pelago atque*] legebatur *pelagoque*.

366. *satelles:* nomen huic Anicetus. v. Tacit. Ann. XIV 7 et 8.

370—372. *utero — tulit:* Tacit. c. 8: *protendens uterum 'ventrem feri' exclamavit.* fortasse hic fabulae nostrae locus ei famae divulgandae ansam praebuit: res certe per se parum credibilis.

Missus peragit iussa satelles,
Reserat dominae pectora ferro.
Caedis moriens illa ministrum
Rogat infelix,
Utero dirum condat ut ensem.
'Hic est, hic est fodiendus', ait,
'Ferro, monstrum qui tale tulit'.
Post hanc vocem cum supremo
Mixtam gemitu
Animam tandem per fera tristem
Vulnera reddit.

ACTVS SECVNDVS.

Seneca.

Quid me, potens Fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, sorte contentum mea
Alte extulisti, gravius ut ruerem edita
Receptus arce totque prospicerem metus?
Melius latebam procul ab invidiae malis
Remotus inter Corsici rupes maris,
Ubi liber animus et sui iuris mihi
Semper vacabat, studia recolenti mea.
O quam iuvabat, quo nihil maius parens
Natura genuit, operis immensi artifex,

Exsilii Corsicaeque insulae solitudinem prae statu suo praesenti, alto quidem sed praecipiti, laudat, incorruptos antiquitatis mores describit, quomodo per vices in deterius aetates aberraverint, donec immensa malorum moles in hoc saeculum redundarit, demonstrat.

381. *remotus inter Corsici rupes maris:* dicit exsilium a Claudio Senecae irrogatum et octo per annos constanti sapientis animo ab ipso toleratum. v. Tacit. Ann. XII 8. Dio Cass. LX 8. Schol. Iuvenal. V 109.

383. *studia recolenti mea:* *mea* idem est atque mihi propria sive mihi vere convenientia.

Caelum intueri solis et cursus sacros,
[Mundique motus, solis alternas vices,]
Orbemque Phoebes, astra quem cingunt vaga,
Lateque fulgens aetheris magni decus.
Qui si senescit tantus in caecum chaos
Casurus iterum, tunc adest mundo dies
Supremus ille, qui premat genus impium
Caeli ruina, rursus ut stirpem novam
Generet renascens melior, ut quondam tulit
Iuvenis, tenente regna Saturno poli.
Tunc illa virgo, numinis magni dea,
Iustitia, caelo missa cum sancta Fide,
Terras regebat mitis. Humanum genus
Non bella norat, non tubae fremitus truces;
Non arma gentes cingere assuerant sibi,
Muris nec urbes. Pervium cunctis iter,
Communis usus omnium rerum fuit.
Et ipsa tellus laeta fecundos sinus

391. *tunc*] legebatur *nunc*. 398. Ultraiectinus Bothii *terra*, ut *terram* fuisse coniicias. idem 399 *norant*. 400. *sibi*] codices *suas*.

387. ***mundique motus, solis alternas vices:*** haec nihil nisi inanem periphrasin versuum 386 et 388 et 389 continent: ***mundus*** enim idem est quod ***caelum*** v. 386 sive luna (***orbis Phoebes*** v. 388) et astra et ***aetheris magni decus*** v. 389, ac ***solis alternae vices*** sunt ***sacri solis cursus*** modo memorati. quae cum ita sint, primum a corrigendo ante omnia abstinendum esse iudicavi, ne Maurum lavare velle videar, tum insiticia suo auctori, h. e. serioris aetatis enarratori, reddenda putavi. per ***late fulgens aetheris magni decus*** non *sol*, de quo v. 386 iam dictum est, designatur, sed ipsum ***aetheris*** nomen his verbis poetice dilatatum est. itaque recte pergit ***qui si*** cet.

390—394. ***qui si senescit — renascens melior:*** Seneca secum reputans sensim eo adducitur, ut δόγμα quoddam ex placi-

Pandebat ultro, tam piis felix parens
Et tuta alumnis. Alia sed suboles minus
Conspecta mitis. Tertium sollers genus
Novas ad artes exstitit, sanctum tamen.
Mox inquietum, quod sequi cursu feras
Auderet acres; fluctibus tectos gravi
Extrahere pisces rete, vel calamo levi
Decipere volucres; premere subiectos iugo
Tauros feroces; vomere immunem prius
Sulcare terram, laesa quae fruges suas
Interius alte condidit sacro sinu.
Sed in parentis viscera intravit suae
Deterior aetas: eruit ferrum grave
Aurumque, saevas mox et armavit manus;
Partita fines regna constituit, novas
Exstruxit urbes; tecta defendit suis
Aliena telis aut petiit praedae imminens.
Neglecta terras fugit et mores feros

409. *gravi* Gronovius: codices *graves*. 411. codices aliquot (non Ultraiectinus) post *decipere volucres* addunt *crate aut levi tenere laqueo*. 412. *vomere* margo ed. Lugdunensis: codices *vulnere*.

tis Stoicorum de interitu caeli terraeque ac renascente novo rerum ordine proponat. quod ut recte acciperetur, *tunc* pro eo quod erat *nunc* substituto prospexi.

400. *sibi*: si codicum scripturam *suas* tenemus, pronomen plane inutile est et inepta sententia emergit: etenim gentes arma quidem possedisse, sed tamen non cinxisse sibi dicuntur. sententiae autem perversitatem si vitare velis hac distinguendi ratione *non arma gentes cingere assuerant, suas muris nec urbes*, continuo structura non Latina et inane pronomen oriuntur. ut duplex hoc incommodum amoveretur, *sibi* scripsi et vitium *suas* ortum esse credo scripturae compendio perperam a librario intellecto.

Hominum et cruenta caede pollutas manus
Astraea virgo, siderum magnum decus.
Cupido belli crevit atque auri fames.
Totum per orbem maximum exortum est malum,
Luxuria, pestis blanda; cui vires dedit
Roburque longum tempus atque error gravis.
Collecta vitia per tot aetates diu
In nos redundant; saeculo premimur gravi,
Quo scelera regnant, saevit impietas furens,
Turpi libido venere dominatur potens,
Luxuria victrix orbis immensas opes
Iam pridem avaris manibus, ut perdat, rapit.
Sed ecce gressu fertur attonito Nero,
Trucique vultu. Quid ferat, mente horreo.

Nero.

Neronem principem caedem Rubellii Plauti et Cornelii Sullae iubentem (Tacit. Annal. XIII 47, XIV 22)

Perage imperata; mitte, qui Plauti mihi
Sullaeque caesi referat abscissum caput.

Praefectus.

Iussa haud morabor, castra confestim petam.

422. *et* deest codicibus plerisque, non Ultraiectino. Heinsius *ac* commendavit.

430 — 433. haec universe quidem de totius saeculi vitiis conscripta sunt, sed ita conformata ut simul aulae Neronianae potiora flagitia notentur. nam verba *quo scelera regnant* respiciunt Neronis Tigellinique potentiam nefarie exercitam, *saevit impietas furens* Claudium a coniuge necatum, Britannicum a fratre Nerone veneno sublatum, matrem tandem ab eodem interfectam, *turpis venus* commercium amoris a Poppaea et Nerone iam initum et mox in nuptias evasurum, *luxuria victrix* illud omnia perdendi studium, quod imperante Nerone immensum proruperat; v. Tacit. Ann. XV 37.

438. *iussa haud morabor:* non multo ante quam pulsa est

Seneca.

Nihil in propinquos temere constitui decet.

Nero.

Iusto esse facile est, cui vacat pectus metu.

Seneca.

Magnum timoris remedium clementia est.

Nero.

Extinguere hostem maxima est virtus ducis.

Seneca.

Servare cives maior est patriae patri.

Nero.

Praecipere mitem convenit pueris senem.

Seneca.

Regenda magis est fervida adolescentia.

Nero.

Aetate in hac satis esse consili reor.

Seneca.

Ut facta superi comprobent semper tua.

Nero.

Stulte verebor, ipse cum faciam, deos.

et 57—59) Seneca ad mitiora adhortatur, sed frustra: is enim ad saevissima quaeque sese promptum inclinare cum ostendit, tum obsequi recusat suadenti, ne Octaviam coniugem domo pellere Poppaeamque inducere paret.

Octavia e domo principis, Burrus, egregius ille praetoriarum cohortium praefectus, vita excessit, Fenii Rufi alterius e duobus praefectis auctoritas imminuta est, ut tandem Sofonius Tigellinus, recens ad hanc dignitatem admotus, deterrimus mortalium, unus in Neronis favore et gratia polleret. v. Tacit. Ann. XIV 57—60. praefectus igitur is, qui hoc loco atque iterum actu quinto fidus Neronis satelles inducitur, Tigellinus haud dubie a poeta quamvis nomine suppresso intelligitur.

448. *ipse cum faciam:* Claudium quanquam aperte matris veneno necatum in deorum numero reposuerat: v. Tacit. Ann. XII 69, XIII 2. Sueton. Nerone 9 et 33, Claudio 45. similem deorum contemptum Anicetus, ex intimis Neronis amicis, promit apud Tacitum Ann. XIV 3 extr.

Seneca.
Hoc plus verere, quod licet tantum tibi.
Nero.
Fortuna nostra cuncta permittit mihi.
Seneca.
Crede obsequenti parcius: levis est dea.
Nero.
Inertis est nescire, quid liceat sibi.
Seneca.
Id facere laus est, quod decet, non, quod licet.
Nero.
Calcat iacentem vulgus.
Seneca.
Invisum opprimit.
Nero.
Ferrum tuetur principem.
Seneca.
Melius fides.
Nero.
Decet timeri Caesarem.
Seneca.
At plus diligi.

454. *calcat iacentem vulgus: iacentem* h. l. non dixit poeta *negligentem* et *lassum*, sed humi iacentem et oppressum. apte his respondet Seneca *invisum opprimit*, h. e. si quis invisus est, mox opprimitur ut iaceat.

460. *dispectus ensis faciet:* consensu patrum rata facienda esse quae princeps imperaverit, Seneca Neroni modo suggessit verbis *quae consensus efficiat rata.* ad haec saevus homo respondet, patres, ubi ensem *dispexerint* curiam ingredientes, non dubitaturos esse, quominus quidquid ipse iusserit rata habeant. intelligit fabulae auctor eiusmodi Neronis ludibria, quae Tacitus

Nero.

Metuant necesse est —

Seneca.

Quidquid exprimitur, grave est.

Nero.

Iussisque nostris pareant.

Seneca.

Iusta impera.

Nero.

Statuam ipse.

Seneca.

Quae consensus efficiat rata.

Nero.

Dispectus ensis faciet.

Seneca.

Hoc absit nefas.

Nero.

An patiar ultra sanguinem nostrum peti,
Inultus et contemptus ut subito opprimar?
Exsilia non fregere summotos procul
Plautum atque Sullam, pertinax quorum furor
Armat ministros sceleris in caedem meam.

460. *dispectus*] legebatur *despectus*. 462. *inultus* Raphelengius: Aldus *invitus*, ceteri *invictus* aut *invisus*.

describit Ann. XVI 27: *at postera luce duae praetoriae cohortes armatae templum Genetricis Veneris insedere. aditum senatus globus togatorum obsederat non occultis gladiis; dispersique per fora et basilicas cunei militares. inter quorum adspectus et minas ingressi curiam senatores.* hinc facile, lector, cognosces librorum vitium *despectus*, ab aliis audacter et frustra tentatum, a me vere correctum esse.

Absentium cum maneat etiam ingens favor
In urbe nostra, qui fovet spes exsulum,
Tollantur hostes ense suspecti mihi.
Invisa coniux pereat et carum sibi
Fratrem sequatur. Quidquid excelsum est, cadat.

Seneca.

Pulchrum eminere est inter inlustres viros,
Consulere patriae, parcere adflictis, fera
Caedé abstinere, tempus atque irae dare,
Orbi quietem, saeculo pacem suo.
Haec summa virtus, petitur hac caelum via.
Sic ille patriae primus Augustus parens
Complexus astra est colitur et templis deus.
Illum tamen Fortuna iactavit diu
Terra marique per graves belli vices,
Hostes parentis donec oppressit sui.
Tibi numen incruenta summittit suum,
Et dedit habenas imperi facili manu,
Nutuque terras maria subiecit tuo.
Invidia tristis victa consensu pio
Cessit. Senatus equitis accensus favor;
Plebisque votis atque iudicio patrum
Tu pacis auctor, generis humani arbiter
Electus; orbem tu sacra specie regis,
Patriae parens; quod nomen ut serves petit
Suosque cives Roma commendat tibi.

486. *iudicio patrum* Lipsius: codices *iudicium patrum est.* paulo ante *votum* pro *votis* Ultraiectinus.

485. *senatus equitis — electus:* vir pacis artibus eximius consulto favorem praetorianorum, a quibus Nero imperator primum eonsalutatus est (Tacit Ann. XII 69), aut plane non commemorat aut *plebis* nomine militem obscure simul complexus est.

Nero.

Munus deorum est, ipsa quod servit mihi
Roma et senatus, quodque ab invitis preces
Humilesque voces exprimit nostri metus.
Servare cives principi et patriae graves,
Claro tumentes genere, quae dementia est,
Cum liceat una voce suspectos sibi
Mori iubere? Brutus in caedem ducis,
A quo salutem tulerat, armavit manus.
Invictus acie, gentium domitor, Iovi
Aequatus altos saepe per honorum gradus,
Caesar nefando civium scelere occidit.
Quantum cruoris Roma tunc vidit sui,
Lacerata totiens. Ille qui meruit pia
Virtute caelum, divus Augustus, viros
Quot interemit nobiles, iuvenes, senes,
Sparsos per orbem, cum suos mortis metu
Fugerent penates et trium ferrum ducum,
Tabula notante deditos tristi neci?
Exposita rostris capita caesorum patres
Videre maesti, flere nec licuit suos,
Non gemere, dira tabe polluto foro,
Stillante sanie per putres vultus gravi.
Nec finis hic cruoris aut caedis stetit.
Pavere volucres et feras saevas diu
Tristes Philippi; hausit et Siculum mare

500. *altos* Grotius: libri *altos*. 515. *hausit*] *mersit* Gronovius.

515. *Siculum mare:* intellige pugnas ab Octaviano Caesare eiusque ducibus cum Sexti Pompeii classe per plures annos varia fortuna et multis in vicem cladibus commissas, donec Pompeius virtute Agrippae tandem oppressus est.

Classes virosque saepe cedentes; suis
Concussus orbis viribus; magnus ducum
Superatus acie puppibus Nilum petit
Fugae paratis, ipse periturus brevi.
Hausit cruorem incesta Romani ducis
Aegyptus iterum, nunc leves umbras tegit.
Illic sepultum est impie gestum diu
Civile bellum; condidit tandem suos
Iam fessus enses victor, hebetatos feris
Vulneribus, et continuit imperium metu.
Armis fideque militis tutus fuit,
Pietate nati factus eximia deus,
Post fata consecratus et templis datus.
Nos quoque manebunt astra, si saevo prior
Ense occuparo quidquid infestum est mihi,
Dignaque nostram subole fundaro domum.

Seneca.

Implebit aulam stirpe caelesti tuam
Generata divo, Claudiae gentis decus,
Sortita fratris more Iunonis toros.

Nero.

Incesta genitrix detrahit generi fidem,
Animusque nunquam coniugis iunctus mihi.

Seneca.

Teneris in annis haud satis clara est fides,
Pudore victus cum tegit flammas amor.

517. *magnus ducum:* qui ceteris Octaviani adversariis victis unus supererat dimidiumque orbem imperio coercebat, Marcus Antonius, is prae aliis minoribus *magnus ducum* ab hoc poeta appellatur.

521. *leves umbras:* audacter *umbras* dedit pro reliquiis os-

Nero.

Hoc equidem et ipse credidi frustra diu,
Manifesta quamvis pectore insociabili
Vultuque signa proderent odium mei,
Tandem quod ardens statuit ulcisci dolor,
Dignamque thalamis coniugem inveni meis
Genere atque forma, victa cui cedat Venus
Iovisque coniux et ferox armis dea.

Seneca.

Probitas fidesque coniugis, mores, pudor
Placeant marito: sola perpetuo manent,
Subiecta nulli, mentis atque animi bona:
Florem decoris singuli carpunt dies.

Nero.

Omnes in unam contulit laudes deus,
Talemque nasci fata voluerunt mihi.

Seneca.

Recedat a te, temere ne credas, Amor.

Nero.

Quem submovere fulminis dominus nequit,
Caeli tyrannum, saeva qui penetrat freta
Ditisque regna, detrahit superos polo?

Seneca.

Volucrem esse Amorem fingit, immitem deum
Mortalis error, armat et telis manus
Arcusque sacros miscuit saeva face,

sium cinerisque. scilicet hanc vocem cum nonnullis aliis, veluti *dirus, saevus, tyrannus, cruor, ensis, polus, rogus,* in deliciis habet.

535. *incesta genitrix:* Messalinam Octaviae matrem, temere et nefarie Gaio Silio nubentem ac cuivis libidinis generi obnoxiam, incestam genitricem nominat.

Genitumque credit Venere, Vulcano satum.
Vis magna mentis blandus atque animi calor
Amor est, iuventa gignitur, luxu otio
Nutritur inter laeta Fortunae bona.
Quem si fovere atque alere desistas, cadit
Brevique vires perdit extinctus suas.

Nero.

Hanc esse vitae maximam causam reor,
Per quam voluptas oritur, interitu caret,
Cum procreetur semper humanum genus
Amore grato, qui truces mulcet feras.
Hic mihi iugales praeferat taedas deus,
Iugetque nostris igne Poppaeam toris.

Seneca.

Vix sustinere posset hos thalamos dolor
Videre populi: sancta nec Pietas sinat.

Nero.

Prohibebor unus facere, quod cunctis licet?

Seneca.

Maiora populus semper a summo exigit.

Nero.

Libet experiri, viribus fractus meis
An cedat animis temere conceptus favor.

Seneca.

Obsequere potius civibus placidus tuis.

Nero.

Male imperatur, cum regit vulgus duces.

565. ***hanc esse:*** dicit Amorem, sed pronomen genus praedicati (***causam***) sequitur.

585. ***merita te divi patris:*** merita sunt Claudii in Neronem, quem ille filium generumque adscivit, Britannico praeposuit et successorem imperii destinavit. verba ***merita-pudor*** sermoni

Seneca.

Nil impetrare cum valet, iuste dolet.

Nero.

Exprimere ius est, ferre quod nequeunt preces?

Seneca.

Negare durum est.

Nero.

Principem cogi nefas.

Seneca.

Remittat ipse.

Nero.

Fama sed victum feret.

Seneca.

Levis atque vana.

Nero.

Si licet, multos notat.

Seneca.

Excelsa metuit.

Nero.

Non minus carpit tamen.

Seneca.

Facile opprimetur. Merita te divi patris
Aetasque frangat coniugis, probitas pudor.

Nero.

Desiste tandem, iam gravis nimium mihi,
Instare. Liceat facere quod Seneca improbat.
Et ipse populi vota iam pridem moror,

580. *ferre* Melissus apud Gruterum: codices *ferro*. 583. *levis atque vana scilicet* Bothius.

suo iustam quasi clausulam Seneca adiunxit et post haec abire cogitandus est. quae sequuntur Neronis verba, ea non ad Senecam conversus loquitur, sed secum ac solus profert.

Cum portet utero pignus et partem mei:
Quin destinamus proximum thalamis diem.

ACTVS TERTIVS.

Agrippina.

Excitata ab inferis facemque exitialem praeferens nuptiis Poppaeae tam huius mortem praematuram quam Neronis foedum vitae finem praedicit.

Tellure rupta Tartaro gressum extuli,
Stygiam cruenta praeferens dextra facem
Thalamis scelestis. Nubat his flammis meo
Poppaea nato iuncta, quas vindex manus
Dolorque matris vertet ad tristes rogos.
Manet inter umbras impiae caedis mihi
Semper memoria, manibus nostris gravis
Adhuc inultis, reddita et meritis meis
Funesta merces puppis et pretium imperi
Nox illa, qua naufragia deflevi mea.
Comitum necem natique crudelis nefas
Deflere votum fuerat: haud tempus datum est
Lacrimis, sed ingens scelere geminavit nefas.
Perempta ferro, foeda vulneribus sacros
Intra penates spiritum effudi gravem

590. *cum portet utero:* quod subiecti nomen (Poppaea) lectori supplendum relinquitur, cum aliquo verecundiae sensu institutum videtur.

596. *tristes rogos:* respicitur tristis Poppaeae vitae exitus: nam gravida a Nerone fortuita iracundia ictu calcis adflicta decessit. v. Tacit. Ann. XVI 6. Dio apud Xiphil. LXII 27. Sueton. Ner. 35.

610. *mortis metu:* hoc est iniecto mortis pavore.

619. *verbera et turpem fugam:* verbera pertinent ad supplicium more maiorum a patribus in Neronem decretum, quanquam ipse fuga et voluntaria morte praevenit. v. Sueton. c. 49: *inter*

Erepta pelago; sanguine extinxi meo
Nec odia nati: saevit in nomen ferus
Matris tyrannus; obrui meritum cupit.
Simulacra, titulos destruit mortis metu
Totum per orbem, quem dedit poenam in meam
Puero regendum noster infelix amor.
Extinctus umbras agitat infestus meas
Flammisque vultus noxios coniux petit,
Instat minatur, imputat fatum mihi
Tumulumque nati; poscit auctorem necis.
Iam parce: dabitur. Tempus haud longum peto.
Ultrix Erinys impio dignum parat
Letum tyranno, verbera et turpem fugam,
Poenasque quis et Tantali vincat sitim,
Dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem,
Ixionisque membra rapientem rotam.
Licet exstruat marmoribus atque auro tegat — Tacit. Ann. XV 42. Sueton. 31. Plin. XXXVI 15.
Superbus aulam, limen armatae ducis
Servent cohortes, mittat immensas opes
Exhaustus orbis, supplices dextram petant
Parthi cruentam, regna divitias ferant: — Tacit. XV 29.
Veniet dies tempusque, quo reddat suis

moras perlatos a cursore Phaontis codicillos praeripuit legitque se hostem a senatu iudicatum et quaeri, ut puniatur more maiorum; interrogavitque quale id genus esset poenae. Et cum comperisset nudi hominis cervicem inseri furcae, corpus virgis ad necem caedi, cet. cf. Dio ap. Xiphil. LXIII 27.

620. *Tantali vincat sitim:* in *sitis* voce poeta respexit sitim Neronis ante vitae finem. Sueton. c. 48: *aquam ex subiecta lacuna poturus manu hausit et 'haec est' inquit 'Neronis decocta'.* paulo post idem: *fameque interim et siti interpellante, panem quidem sordidum oblatum aspernatus est, aquae autem tepidae aliquantum bibit.* cf. Xiphil. LXIII 28.

Animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus,
Desertus et destructus et cunctis egens.
Heu, quo labor, quo vota ceciderunt mea?
Quo te furor provexit attonitum tuus
Et fata, nate, cedat ut tantis malis
Genitricis ira, quae tuo scelere occidit?
Utinam, antequam te parvulum in lucem edidi
Aluique, saevae nostra lacerassent ferae
Viscera. Sine ullo scelere, sine sensu, innocens,
Meus occidisses; iunctus atque haerens mihi
Semper quietam cerneres sedem inferum,
Proavos patremque, nominis magni viros,
Quos nunc pudor luctusque perpetuus manet
Ex te, nefande, meque, quae talem tuli.
Quid tegere cesso Tartaro vultus meos,
Noverca, coniux, mater infelix meis?

Octavia.

Nimium favorem deprecatur, sororem se fore Caesaris obtestans, non uxorem.

Parcite lacrimis urbis festo
Laetoque die, ne tantus amor
Nostrique favor principis acres
Suscitet iras, vobisque ego sim
Causa malorum: non hoc primum
Pectora vulnus mea senserunt,
Graviora tuli. Dabit hic nostris
Finem curis vel morte dies.

629. *iugulum hostibus:* Sueton 49: *iam equites adpropinquabant, quibus praeceptum erat, ut vivum eum adtraherent. quod ut sensit, . . . ferrum iugulo adegit.*

644. *infelix meis:* nomen adiectivum *infelix* activa vi fungitur, *unheilbringend* Agrippina Britannici *noverca* effecerat, ut Nero ei praeponeretur; eadem *coniux* Claudium maritum veneno sustulit, *mater* filium suum ad summa quidem provexit, sed simul ita exacerbavit, ut foedum matricidium auderet. eodem modo

Non ego saevi cernere cogar
Coniugis ora,
Non invisos intrare mihi
Thalamos famulae: soror Augusti,
Non uxor ero.
Absint tantum tristes poenae
Letique metus.

Chorus.

Scelerum diri, miseranda, viri
Potes haec, demens, sperare memor?
Hos ad thalamos servata diu
Victima tandem funesta cades.
Sed quid patrios saepe penates
Respicis udis confusa genis?
Propera tectis efferre gradus,
Linque cruentam principis aulam.
En inluxit suspecta diu
Fama totiens iactata dies.
Cessit thalamis Claudia diri
Pulsa Neronis,
Quos iam victrix Poppaea tenet,
Cessat pietas dum nostra gravi
Compressa metu segnisque dolor.
Ubi Romani vis est populi,
Fregit claros quae saepe duces,

Cui respondet chorus hanc spem frustra foveri, suadetque domum infelicem quam primum ut relinquat. Idem antiquam populi Romani vim requirit coniugiumque abominatur, quod Nero cum Poppaea celebrandum molitur.

660. Chorus deest editis exemplaribus omnibus.

infelix paulo post (v. 688) dictum legimus.

656. *soror Augusti, non uxor ero:* Tacitus similem Octaviae vocem paulo ante caedem eius emissam meminit Ann. XIV 64: *paucis dehinc interiectis diebus mori iubetur, cum iam viduam se et tantum sororem testaretur.*

660 – 667. haec choro dedi, cui unice conveniunt: vulgo non apte Octaviae continuantur.

Dedit invictae leges patriae,
Fasces dignis civibus olim,
Iussit bellum pacemque, feras
Gentes domuit, captos reges
Carcere clausit?
Gravis en oculis undique nostris
Iam Poppaeae fulget imago,
Iuncta Neroni.
Adfligat humo violenta manus
Similes nimium vultus dominae,
Ipsamque toris detrahat altis,
Petat infelix mox et flammis
Telisque feri principis aulam.

ACTVS QVARTVS.

Nutrix Poppaeae.

Poppaeam visu noctis exterritam egressamque

Quo trepida gressum coniugis thalamis tui
Effers, alumna, quodve secretum petis

682–684. *gravis en — Neroni:* licet recitationi et lectoribus haec fabula scripta sit, auctor tamen certam rei gestae scenam sibi cogitatione informavit. sic ille hoc loco vestibulum aulae Neronianae aureis Poppaeae et Neronis imaginibus exornatum animo concepit.

688. *petat infelix:* Grotius *infestis* pro *infelix* substituendum suasit: sed nihil mutandum est. v. adnot. ad v. 644.

690. quae hic loquitur nutrix Poppaeae, non confundenda cum nutrice Octaviae (71–271), eius nomen in personarum indice fabulae praeposito vulgo omittitur: ipse supplevi uncis circumscriptum

695. *quem tuus — culpa Senecae:* pulchra ipsius Poppaeae forma et culpa Senecae Neronem in amorem illius illectum, dein Veneris potentia plane vinctum esse nutrix profitetur. quae illa

thalamo solatur et somnium illius interpretando studet elevare.

Turbata vultu? Cur genae fletu madent?
Certe petitus precibus et votis dies
Nostris refulsit. Caesari iuncta es tuo
Taeda iugali, quem tuus cepit decor
Et culpa Senecae, tradidit vinctum tibi
Genitrix amoris, maximum numen, Venus.
O qualis altos, quanta pressisti toros;
Residens in aula. Vidit attonitus tuam
Formam senatus, tura cum superis dares
Sacrasque grato spargeres aras mero,
Velata summum flammeo tenui caput:
Et ipse lateri iunctus atque haerens tuo
Sublimis inter civium laeta omina
Incessit, habitu atque ore laetitiam gerens
Princeps superbo. Talis emersam freto
Spumante Peleus coniugem accepit Thetin,
Quorum toros celebrasse caelestes ferunt
Pelagique numen omne consensu pari.
Quae subita vultus causa mutavit tuos?
Quid pallor iste, quid ferant lacrimae, doce.

Senecae culpa? non liquet; res nobis ignota est, sed aequali scriptori cognita fuit. dum reputo initium commercii amatorii Senecae vitio verti, eiusmodi indulgentiam philosophi notari existimo, qualem Tacitus in simili re a Seneca et Burro (hi enim sunt quos dicit *seniores amicos*) admissam tradit Ann XIII 12: *ceterum infracta paulatim potentia matris, delapso Nerone in amorem libertae cui vocabulum Acte fuit, . . . ne senioribus quidem principis amicis adversantibus, muliercula nulla cuiusquam iniuria cupidines principis explente, quando uxore ab Octavia, nobili quidem et probitatis spectatae, fato quodam an quia praevalent inlicita, abhorrebat.* longius petitum est quod Delrio hariolatus proposuit, scilicet dissuadendo Senecam fecisse, ut vehementius Poppaeam Nero amaret.

Poppaea.

Confusa tristi proximae noctis metu
Visuque, nutrix, mente turbata feror,
Defecta sensu. Laeta nam postquam dies
Sideribus atris cessit et nocti polus,
Inter Neronis iuncta complexus mei
Somno resolvor, nec diu placida frui
Quiete licuit: visa nam thalamos meos
Celebrare turba est maesta; resolutis comis
Matres Latinae flebiles planctus dabant.
Inter tubarum saepe terribilem sonum
Sparsam cruore coniugis genitrix mei
Vultu minaci saeva quatiebat facem.
Quam dum sequor, coacta praesenti metu,
Diducta subito patuit ingenti mihi
Tellus hiatu, lata quo praeceps toros
Cerno iugales pariter et miror meos,
In quis resedi fessa. Venientem intuor
Comitante turba coniugem quondam meum
Natumque: properat petere complexus meos

715. *sideribus atris:* sidera *atra* vocantur propterea quod atra nocte visuntur. cf. Sophocl. El. 19: *μέλαινά τ' ἄστρων ἐκλέλοιπεν εὐφρόνη.* mox ubi *polus* (h. e. *caelum*) cessisse *nocti* dicitur, intelligendus est polus lumine collustratus eoque cernentium oculis manifestus. cf. Aeschyl. Prom. 24: *ἡ ποικιλείμων νὺξ ἀποκρύψει φάος.*

730. *natumque:* de hoc Suetonius Nerone 35: *privignum Rufium Crispinum Poppaea natum impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus et imperia ludere, mergendum mari, dum piscaretur, servis ipsius demandavit.*

731. *Crispinus:* prior Poppaeae coniux eodem nomine quo filius eius *Rufius Crispinus* vocabatur, eques Romanus dignitate

Crispinus, intermissa libare oscula,
Inrupit intra tecta cum trepidus mea,
Ensemque iugulo condidit saevum Nero.
Tandem quietem magnus excussit timor;
Quatit ora et artus horridus nostros tremor
Pulsatque pectus; continet vocem timor,
Quam nunc fides pietasque produxit tua.
Heu, quid minantur inferum manes mihi,
Aut quem cruorem coniugis vidi mei?

Nutrix.

Quaecunque mentis agitat intentus vigor,
Ea per quietem sacer et arcanus refert
Veloxque sensus. Coniugem thalamos rogos
Vidisse te miraris, amplexu novi
Haerens mariti? Sed movent laeto die
Pulsata palmis pectora et fusae comae:
Octaviae discidia planxerunt sacros
Intra penates fratris et patrium larem.
Fax illa, quam secuta es, Augustae manu
Praelata, clarum nomen invidia tibi

740. *intentus* Gronovius: codices *infestus*.

senatoria (*illustris*). v. Tacit. Ann. XI 1 et 4, XII 42, XIII 45, XV 71, XVI 17.

733 *ensemque iugulo condidit saevum Nero:* cuius iugulo? Crispini Poppaeae olim coniugis, ut liquet ex v. 739 *aut quem cruorem coniugis vidi mei?* Crispini caedes a Nerone iussa (Tacit. Ann. XVI 17) hoc Poppaeae somnio praemonstratur. id scelus patratum est anno a Christo nato 66, h. e. annuo fere spatio post quam Seneca e vivis cessit.

744—745. *sed movent — fusae comae*: haec respondent iis quae Octavia v. 718—720 vidisse se narraverat. *movent* absolute positum est. interpretationem eius rei versibus 746 et 747 nutrix proponit.

Partum ominatur. Inferum sedes toros
Stabiles futuros spondet aeternae domus.
Iugulo quod ensem condidit princeps tuus,
Bella haud movebit, pace sed ferrum teget.
Recollige animum, recipe laetitiam, precor,
Timore pulso. Redde te thalamis tuis.

Poppaea.

Delubra et aras petere constitui sacras,
Caesis litare victimis numen deum,
Ut expientur noctis et somni minae
Terrorque in hostes redeat attonitus meos.
Et vota pro me suscipe et precibus piis
Superos adora, manet ut praesens metus.

Chorus.

Poppaeae formam et pulchritudinem stupens agnoscit.

Si vera loquax fama tonantis
Furta et gratos narrat amores,
Quem modo Ledae pressisse sinum
Tectum plumis pennisque ferunt,
Modo per fluctus raptam Europen

760. *et*] Gronovius *tu*. 761. legendum videtur *emanet*.

760. *et vota*: Gronovius *tu vota* desiderabat; possis etiam *tu et vota* scribere: sed praestat nihil mutare, si quidem ipse Horatius limatissimus poetarum, postquam de semet ipso plura praefatus est, in hunc modum pergit Carm. IV 2 33 et 40, ad Iulum Antonium conversus:

Concines maiore poeta plectro
Caesarem cet.
Concines laetosque dies et urbis
Publicum ludum cet.

761. *manet ut praesens metus:* manandi verbum cum aliis in locis non ita dicatur ut idem valeat ac *diffluere et vanescere*, immo ut res quae manat diffundatur quidem, non tamen evanescat, sed potius dilatetur et amplius spatium occupet, possis su-

Taurum tergo portasse trucem,
Quae regit et nunc deseret astra,
Petet amplexus, Poppaea, tuos,
Quos et Ledae praeferre potest
Et tibi, quondam cui miranti
Fulvo, Danaë, fluxit in auro.
Formam Sparte iactet alumnae
Licet et Phrygius praemia pastor,
Vincet vultus haec Tyndaridos,
Qui moverunt horrida bella
Phrygiaeque solo regna dedere.
Sed quis gressu ruit attonito
Aut quid pectore portat anhelo?

Nuntius.

Quicunque tectis miles excubat ducis,
Defendat aulam, cui furor populi imminet.
Trepidi cohortes, ecce, praefecti trahunt
Praesidia ad urbis, victa nec cedit metu
Concepta rabies temere, sed vires capit.

Motum populi nimio favore Octaviae excitatum nuntiat plebisque in Poppaeam iram ac vim narrat. cf. Tacit. Ann. XIV 61.

780. *excubat* Raphelengius: codices *exsultat*.

spicari, nisi nove poetam locutum esse statuas, scriptum fuisse quod coniectando posui *emanet*, h. e. *diffluat* sive *vanescat*. in nonnullis antiquis editionibus puerile peccatum *maneat* comparet, unde Gronovius *monuit*, Bothius *abeat* elicere conatus est, infido uterque innixus fundamento.

780 *quicunque — excubat:* intelligit eam praetoriam cohortem, quae stationem sive excubias illo die in Palatio agebat. cf. Sueton. Othone 6. Tacit. Hist. I 24 et 29. *exsultat* librorum manu scriptorum vitium est satis manifestum neque iustam explicationem recipit.

782. *praefecti:* Sofonius Tigellinus et Fenius Rufus. v. Tacit. Ann. XIV 51.

Chorus.

Quis iste mentes agitat attonitas furor?

Nuntius.

Octaviae favore perculsa agmina
Et efferata per nefas ingens ruunt.

Chorus.

Quid ausa facere quove consilio, doce.

Nuntius.

Reddere penates Claudiae diri parant
Torosque fratris, debitam partem imperi.

Chorus.

Quos iam tenet Poppaea concordi fide?

Nuntius.

Hic urit animos pertinax nimium favor
Et in furorem temere praecipites agit.
Quaecunque claro marmore effigies stetit
Aut aere fulgens, ora Poppaeae gerens,
Adflicta vulgi manibus et saevo iacet
Eversa ferro; membra per partes trahunt
Diducta laqueis; obruunt turpi diu
Calcata coeno. Verba conveniunt feris
Immixta factis, quae timor reticet meus.
Sepire flammis principis sedem parant,
Populi nisi irae coniugem dedat novam,
Reddat penates Claudiae victus suos.
Ut noscat ipse civium motus, mea
Voce haud morabor iussa praefecti exsequi.

786. *favore* Gronovius: codices *furore*. 789. *diri*] legebatur *divi*. Gronovius *domini*, Bothius (*di!*) *vi*. cf. ad v. 248 et 521. 792. *favor* Grotius: codices *furor*. 798. *diducta*] legebatur *deducta*. 800. *reticet* Delrio: codices *recipit*. 802. *dedat* Gronovius: codices *reddat*.

785. *attonitas*: nomine *attonitas* effectus verbi *agitat* indicatur, quem usum prolepticum recentiores apte dicunt: etenim

Chorus.

Quid fera frustra bella movetis?
Invicta gerit tela Cupido.
Flammis vestros obruet ignes,
Quibus extinxit fulmina saepe
Captumque Iovem caelo traxit.
Laeso tristes dabitis poenas
Sanguine vestro: non est patiens
Fervidus irae facilisque regi.
Ille ferocem iussit Achillem
Pulsare lyram, fregit Danaos,
Fregit Atridem, regna evertit
Priami, claras diruit urbes:
Et nunc animus, quid ferat, horret,
Vis immitis violenta dei.

ACTVS QVINTVS.

Nero.

O lenta nimium militis nostri manus
Et ira patiens post nefas tantum mea,
Quod non cruor civilis accensas faces
Extinguit in nos, caede nec populi madet
Funerea Roma, quae viros tales tulit.
Admissa sed iam morte puniri parum est:

Iratus plebi propter tumultum, quem mox compressum audit, ipsam saevis poenis coerceri, Octaviam vero motus causam in remotum littus devectam in-

811. *laeso* Bothius: codices *laesi*. dicit numen Amoris.

recte haec forma prae vulgata *attonitus* ex libro Ultraiectino et ed. Ascensiana a Bothio recepta est.

800. *quae timor reticet meus:* tam immania convicia in sacrum principis caput iacta, ut quo minus eloquar Caesaris reverentia prohibear. proba sententia, Delrionis *reticet* pro *recipit* scribentis acumini debita. mire Bothius: *quae tumor recipit merus.*

terimi iubet. cf. Tacit. Ann. XIV 63 et 64.

Graviora meruit impium plebis scelus,
Et illa, cui me civium subicit furor,
Suspecta coniux et soror semper mihi,
Tandem dolori spiritum reddat meo
Iramque nostram sanguine extinguat suo.
Mox tecta flammis concidant urbis meis:
Ignes, ruinae noxium populum premant,
Turpisque egestas, saeva cum luctu fames.
Exsultat ingens saeculi nostri bonis
Corrupta turba, nec capit clementiam
Ingrata nostram ferre nec pacem potest,
Sed inquieta rapitur hinc audacia,
Hinc temeritate fertur in praeceps sua.
Malis domanda est et gravi semper iugo
Premenda, ne quid simile tentare audeat
Contraque sanctos coniugis vultus meae
Attollere oculos. Fracta per poenas metu
Parere discet principis nutu sui.
Sed adesse cerno, rara quem pietas virum
Fidesque castris nota praeposuit meis.

Praefectus.

Populi furorem caede paucorum, diu
Qui restiterunt temere, compressum affero.

831 — 833. *mox tecta — luctu fames:* incendium Romae, quod anno 64, h. e. duobus annis post Octaviam exturbatam et occisam, maiorem urbis partem devastavit et multos mortales perdidit (Tacit. Ann. XV 38—41), praenuntiatur et aperte ad Neronem auctorem refertur: quippe populi famam poeta secutus est. v. Tacit. XV 44 et 38 extr. Sueton. Ner. 38. Dio apud Xiphil. LXII 16—18.

844. *sed adesse — praeposuit meis:* est Sofonius Tigellinus. v. adnot. ad v. 438. hominem nequam et Nerone nihilo meliorem hic noster aliquanto mitiorem et aequiorem in subsequente collo-

Nero.

Et hoc sat est? Sic miles audisti ducem?
Compescis? Haec vindicta debetur mihi?

Praefectus.

Cecidere motus impii ferro duces.

Nero.

Quid? illa turba, petere quae flammis meos
Ausa est penates, principi legem dare,
Abstrahere nostris coniugem caram toris,
Violare, quantum licuit, incesta manu
Et voce dira, debita poena vacat?

Praefectus.

Poenam dolor constituet in cives tuos?

Nero.

Constituet, aetas nulla quam famae eximat.

Praefectus.

Quam temperet non ira, non noster timor?

Nero.

Iram expiabit prima quae meruit meam.

Praefectus.

Quam poscat, ede, nostra ne parcat manus.

Nero.

Caedem sororis poscit et dirum caput.

849. *compescis?*] 'fortasse *cur parcis?*' Bothius.

quio monstravit, ut Neronem perfectum tyrannum et omni humano sensu destitutum luculentius pingere posset.

858. *quam temperet non ira, non noster timor?* loquitur de militibus, se ipso non excepto, per iram noxios et innoxios iuxta trucidaturis. temperandi causa subest primum quod irati sumus et facile modum egredi possumus, tum quod sic civium ultionem timendam habebimus.

Praefectus.

Horrore victum trepidus adstrinxit rigor.

Nero.

Parere dubitas?

Praefectus.

Cur meam damnas fidem?

Nero.

Quod parcis hosti.

Praefectus.

Femina hoc nomen capit?

Nero.

Si scelera cepit.

Praefectus.

Estne qui sontem arguat?

Nero.

Populi furor.

Praefectus.

Quis regere dementes valet?

Nero.

Qui concitare potuit.

Praefectus.

Haud quenquam reor.

Nero.

Mulier, dedit natura cui pronum malo
Animum, ad nocendum pectus instruxit dolis.

Praefectus.

Sed vim negavit, ut ne inexpugnabilis
Esset, sed aegras frangeret vires timor —

870. ante h. v. et post v. 871 nomina Praefectus atque Nero in libris scriptis editisque non leguntur.

863. *parere dubitas?* cum praefectus iussis crudelissimis non statim obsequatur, sed inopinato mandato commoveatur, Nero,

Nero.

Vel poena, quae tam sera damnatam premit,
Diu nocentem. Tolle consilium ac preces,
Et imperata perage: devectam rate
Procul in remotum littus interimi iube,
Tandem ut residat pectoris nostri tumor.

Chorus.

Infelicem multis favorem populi fuisse memorat, tristemque sortem Octaviae misericordia commotus ominatur.

O funestus multis populi
Dirusque favor, qui cum flatu
Vela secundo ratis implevit
Vexitque procul, languidus idem
Deserit alto saevoque mari.
Flevit Gracchos miseranda parens,
Perdidit ingens quos plebis amor
Nimiusque favor genere inlustres,
Pietate fide lingua claros,
Pectore fortes, legibus acres.
Te quoque, Livi, simili leto
Fortuna dedit, quem neque fasces
Texere sui nec tecta domus.
Plura referre
Prohibet praesens exempla dolor.
Modo cui patriam reddere cives
Aulam et fratris voluere toros,
Nunc ad poenam letumque trahi
Flentem, miseram cernere possunt.
Bene paupertas humili tecto
Contenta latet: quatiunt altas

ut immanem tyrannum decet, interrogat ea, quae praefecto dubitationem omnem eximant.

872. *vel poena:* Nero sententiam praefecti correcturus et immutaturus eius verba suis continuat.

Saepe procellae
Aut evertit Fortuna domos.

Octavia.

Dura sua fata praesagio malorum agnoscit.

Quo me trahitis? quodve tyrannus
Aut exsilium regina iubet,
Si mihi vitam fracta remittit
Tot iam nostris et victa malis?
Si caede mea cumulare parat
Luctus nostros, invidet etiam
Cur in patria mihi saeva mori?
Sed iam spes est nulla salutis:
Fratris cerno miseranda ratem.
Haec est, cuius vecta carina
Quondam genitrix, nunc et thalamis
Expulsa soror miseranda vehar.
Nullum pietas nunc numen habet,
Nec sunt superi:
Regnat mundo tristis Erinys.
Quis mea digne deflere potest
Mala? Quae lacrimis nostris questus
Reddet aëdon? Cuius pennas
Utinam miserae mihi fata darent.
Fugerem luctus ablata meos
Penna volucri procul et coetus
Hominum tristes caedemque feram.
Sola in vacuo nemore et tenui

903. *et victa* Gronovius: codices *evicta*. 904. *si*] fortasse fuit *sin*.

908. *fratris cerno miseranda ratem:* navem in alveo Tiberis stantem ab Octavia conspici fingit poeta; atque haec idem navigium se videre putat, quo mater Neronis morti destinata olim vecta erat. ceterum hoc indicium est, hanc fabulam lectoribus et recitationi scriptam esse, non autem in scena actam: nam quae ante versata est in vestibulo Palatii, ea subito ad ripam Tiberis comparet.

Ramo pendens querulo possem
Gutture maestum fundere murmur.

Chorus.

Regitur fatis mortale genus,
Nec sibi quidquam spondere potest
Firmum et stabile;
Per quae casus volvit varios
Semper nobis metuenda dies.

Quae aliae domus Caesareae mulieres perpessae sint, in solatium miserae puellae commemorat.

Animum firment exempla tuum,
Iam multa domus quae vestra tulit.
Quid saevior est Fortuna tibi?
Tu mihi primum
Tot natorum memoranda parens,
Nata Agrippae, nurus Augusti,
Caesaris uxor, cuius nomen
Clarum toto fulsit in orbe,
Utero totiens enixa gravi
Pignora pacis: mox exsilium,
Verbera, saevas passa catenas,
Funera, luctus, tandem letum,
Cruciata diu.

Tacit. Ann. I 33 et 40, II 41 et 43 et 54, III 4. Sueton. Aug. 34.

Sueton. Tiber. 53. Tacit. Ann. VI 25.

Felix thalamis Livia Drusi
Natisque ferum ruit in facinus
Poenamque suam.
Iulia matris fata secuta est:
Post longa tamen tempora ferro

Tacit. l. c. IV 3 et 8. Suetonius Tiber. 62. Dio LVII 22, LVIII 11.

Tacit. III 29, VI 27, XIII 32 et 43. Sueton.

917–924. *cuius pennas — fundere murmur:* insignis locus et bono poeta dignus, similis nobili cantico Schilleri (Maria Stuart III 1): *Eilende Wolken, Segler der Lüfte,* cet. eiusmodi flores non ita raro in hac fabula et in Senecae tragoediis splendescentes velim paulo diligentius considerent, qui de his carminibus paucis verbis sed contemptu fastuque plenis iudicare solent.

927. *firmum et stabile:* cf. adnot. ad v. 4.

Claud. 29. Dio LX 18.

Caesa est, quamvis crimine nullo.
Quid non potuit quondam genitrix
Tua, quae rexit principis aulam,
Cara marito partuque potens?
Eadem famulo subiecta suo
Cecidit diri militis ense.
Quid, cui licuit regnum in caelum
Sperare, parens tanta Neronis,
Non funesta violata manu
Remigis ante,
Mox et ferro lacerata diu
Saevi iacuit victima nati?

Octavia.

Ex his exemplis magis etiam intelligit sese ad mortem duci.

Me quoque tristes mittit ad umbras
Ferus et manes, ecce, tyrannus.
Quid iam frustra miseranda moror?
Rapite ad letum, quibus in nos ius
Fortuna dedit. Testor superos —
Quid agis, demens? Parce precari,

952. *famulo subiecta suo:* fuit is Gaius Silius consul designatus. de famuli nomine cf. adnot. ad v. 105.

963—973. Non satis sibi constat poeta, cum timidam ante et mollis animi mulierem iam tanquam viraginem et ferociter in deos et impie in patrem suum declamantem producit. Tacitus re-

Quibus invisa es, numina divum.
Tartara testor Erebique deas
Scelerum ultrices, et te, genitor,
Dignum tali morte et poena,
Non invisa est mors ista mihi.
Armate ratem, date vela fretis,
Ventisque petat puppis rector
Pandatariae littora terrae.

Chorus.

Puellae iam proficiscenti Pandatariam fausta adprecatur.

Lenes aurae zephyrique leves,
Tectam quondam nube aetheria
Qui vexistis raptam saevae
Virginis aris Iphigeniam,
Hanc quoque tristi procul a poena
Portate, precor, templa ad Triviae.
Urbe est nostra mitior Aulis
Et Taurorum barbara tellus.
Hospitis illic caede litatur
Numen superum:
Civis gaudet Roma cruore.

973. *Pandatariae* Lipsius: codices *tandem phariae* vel *tandem variae*.
981. *Taurorum* Lipsius: codices *Maurorum*.

rum fidem secutus teneram puellam pluribus ante caedem diebus mortis metu paene extinctam esse tradidit Ann. XIV 64.

ADDITAMENTVM.

Iuppiter, ut Chalybon omne genus pereat.
Catullus.

In hoc vacuo chartae spatio intemperantis animi specimini cuidam ab H. Paldamo nuper edito occurram, sed quam potero brevissime. Scilicet ille scholasticae scriptionis opportunitate ita uti voluit, ut Bianconii de aetate Cornelii Celsi sententiam a me olim modice et modeste, cum edidi Celsi Medicinam, impugnatam vindicaturus non solum doctrinae opes et iudicium sed etiam impudentiae arma auxilio advocaret. Sic factum est ut statim ab initio tranquillitate animi destitutus *levitatem* et *protervitatem* (p. 3) mihi obiecerit, mox autem dignum aliquid tanto hiatu exspectantibus nihil nisi hoc ostenderit, sese de aetate Celsi aliter sentire atque ego septem abhinc annis ea de re iudicassem: nimirum ex mea computatione Celsum sub Tiberii principatu scripsisse, secundum suam intra annos 735—765, hoc est, si postremum terminum a Paldamo mihi concessum accipiam, *duobus tribusve annis ante* quam ego ipse statui! Hic verus totius causae status est. Num res ipsa digna videtur ob quam Paldamus aliquo iure adversus me debacchetur? Minime. Num novi quidquam ad cau-

sam rectius diiudicandam attulit? Nihil. Num Bianconii causam fortiter sustinuit? Immo prodidit. Lege, mi lector, Paldami declamationem *de Cornelio Celso* Gryphiswaldae hoc anno emissam, et ipse iudica. Haec nunc sufficiant: de ipsius quaestionis argumento alia occasione disputabo, interim hoc monuisse contentus, a Paldamo non modo Celsum poetam cum scriptore Medicinae in unum confusum sed etiam Arruntium Celsum Virgilii interpretem cum Cornelio Celso sexies (p. 13 et 14 numero 1—6) imperite commixtum esse.

Bonnae typis Caroli Georgii.